

PM 32 EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

II 2 II. —

SIGNAT. c1515CCCXIII.



4
SYNOPSIS AN-
THROPOLOGIÆ
PHYSICÆ.

JOHANNIS Sperlings/
Phyl. Prof. Publ.

EDITIO TERTIA.



WITTEBERGÆ,
Impensis Viduæ JOHANNIS
BERGERI, Bibliop.
Prælô JOHANNIS HAKEN,

ANNO M DC LIX.

Medici & Sacerdos Aethiopo-
rum Spheringi.
Sui Christi Scheiblerus de ia.
Dambao. Psychologia scripta
Antonij Despinus Belgae
scripta tractatus de origi-
ne Animae rationalis.

EDITIO TERTIA.



WITTEBERG,
Impensis Viduae JOHANNIS
BERGERI, Bibliop.
Philo JOHANNIS HERRN.
MDCCLXX.



NOBILISSIMIS,

*qua genere, qua virtute,
Juvenibus.*

**DN. JOHANNI à Kno-
belsdorff.**

**DN. JOHANNI GEOR-
GIO à Köbel.**

**DN. ALBERTO FRIDE-
DERICO ab Hünigke.**

**DN. MELCHIORI CHRI-
STOPHORO ab Hünigke.**

*Equitibus Marchicis Splen-
didissimis, Commensalibus,*

*Et Amicis meis ma-
gnis.*

1688
1687
1686
1685
1684
1683
1682
1681
1680
1679
1678
1677
1676
1675
1674
1673
1672
1671
1670
1669
1668
1667
1666
1665
1664
1663
1662
1661
1660
1659
1658
1657
1656
1655
1654
1653
1652
1651
1650
1649
1648
1647
1646
1645
1644
1643
1642
1641
1640
1639
1638
1637
1636
1635
1634
1633
1632
1631
1630
1629
1628
1627
1626
1625
1624
1623
1622
1621
1620
1619
1618
1617
1616
1615
1614
1613
1612
1611
1610
1609
1608
1607
1606
1605
1604
1603
1602
1601
1600
1599
1598
1597
1596
1595
1594
1593
1592
1591
1590
1589
1588
1587
1586
1585
1584
1583
1582
1581
1580
1579
1578
1577
1576
1575
1574
1573
1572
1571
1570
1569
1568
1567
1566
1565
1564
1563
1562
1561
1560
1559
1558
1557
1556
1555
1554
1553
1552
1551
1550
1549
1548
1547
1546
1545
1544
1543
1542
1541
1540
1539
1538
1537
1536
1535
1534
1533
1532
1531
1530
1529
1528
1527
1526
1525
1524
1523
1522
1521
1520
1519
1518
1517
1516
1515
1514
1513
1512
1511
1510
1509
1508
1507
1506
1505
1504
1503
1502
1501
1500
1499
1498
1497
1496
1495
1494
1493
1492
1491
1490
1489
1488
1487
1486
1485
1484
1483
1482
1481
1480
1479
1478
1477
1476
1475
1474
1473
1472
1471
1470
1469
1468
1467
1466
1465
1464
1463
1462
1461
1460
1459
1458
1457
1456
1455
1454
1453
1452
1451
1450
1449
1448
1447
1446
1445
1444
1443
1442
1441
1440
1439
1438
1437
1436
1435
1434
1433
1432
1431
1430
1429
1428
1427
1426
1425
1424
1423
1422
1421
1420
1419
1418
1417
1416
1415
1414
1413
1412
1411
1410
1409
1408
1407
1406
1405
1404
1403
1402
1401
1400
1399
1398
1397
1396
1395
1394
1393
1392
1391
1390
1389
1388
1387
1386
1385
1384
1383
1382
1381
1380
1379
1378
1377
1376
1375
1374
1373
1372
1371
1370
1369
1368
1367
1366
1365
1364
1363
1362
1361
1360
1359
1358
1357
1356
1355
1354
1353
1352
1351
1350
1349
1348
1347
1346
1345
1344
1343
1342
1341
1340
1339
1338
1337
1336
1335
1334
1333
1332
1331
1330
1329
1328
1327
1326
1325
1324
1323
1322
1321
1320
1319
1318
1317
1316
1315
1314
1313
1312
1311
1310
1309
1308
1307
1306
1305
1304
1303
1302
1301
1300
1299
1298
1297
1296
1295
1294
1293
1292
1291
1290
1289
1288
1287
1286
1285
1284
1283
1282
1281
1280
1279
1278
1277
1276
1275
1274
1273
1272
1271
1270
1269
1268
1267
1266
1265
1264
1263
1262
1261
1260
1259
1258
1257
1256
1255
1254
1253
1252
1251
1250
1249
1248
1247
1246
1245
1244
1243
1242
1241
1240
1239
1238
1237
1236
1235
1234
1233
1232
1231
1230
1229
1228
1227
1226
1225
1224
1223
1222
1221
1220
1219
1218
1217
1216
1215
1214
1213
1212
1211
1210
1209
1208
1207
1206
1205
1204
1203
1202
1201
1200
1199
1198
1197
1196
1195
1194
1193
1192
1191
1190
1189
1188
1187
1186
1185
1184
1183
1182
1181
1180
1179
1178
1177
1176
1175
1174
1173
1172
1171
1170
1169
1168
1167
1166
1165
1164
1163
1162
1161
1160
1159
1158
1157
1156
1155
1154
1153
1152
1151
1150
1149
1148
1147
1146
1145
1144
1143
1142
1141
1140
1139
1138
1137
1136
1135
1134
1133
1132
1131
1130
1129
1128
1127
1126
1125
1124
1123
1122
1121
1120
1119
1118
1117
1116
1115
1114
1113
1112
1111
1110
1109
1108
1107
1106
1105
1104
1103
1102
1101
1100
1099
1098
1097
1096
1095
1094
1093
1092
1091
1090
1089
1088
1087
1086
1085
1084
1083
1082
1081
1080
1079
1078
1077
1076
1075
1074
1073
1072
1071
1070
1069
1068
1067
1066
1065
1064
1063
1062
1061
1060
1059
1058
1057
1056
1055
1054
1053
1052
1051
1050
1049
1048
1047
1046
1045
1044
1043
1042
1041
1040
1039
1038
1037
1036
1035
1034
1033
1032
1031
1030
1029
1028
1027
1026
1025
1024
1023
1022
1021
1020
1019
1018
1017
1016
1015
1014
1013
1012
1011
1010
1009
1008
1007
1006
1005
1004
1003
1002
1001
1000
999
998
997
996
995
994
993
992
991
990
989
988
987
986
985
984
983
982
981
980
979
978
977
976
975
974
973
972
971
970
969
968
967
966
965
964
963
962
961
960
959
958
957
956
955
954
953
952
951
950
949
948
947
946
945
944
943
942
941
940
939
938
937
936
935
934
933
932
931
930
929
928
927
926
925
924
923
922
921
920
919
918
917
916
915
914
913
912
911
910
909
908
907
906
905
904
903
902
901
900
899
898
897
896
895
894
893
892
891
890
889
888
887
886
885
884
883
882
881
880
879
878
877
876
875
874
873
872
871
870
869
868
867
866
865
864
863
862
861
860
859
858
857
856
855
854
853
852
851
850
849
848
847
846
845
844
843
842
841
840
839
838
837
836
835
834
833
832
831
830
829
828
827
826
825
824
823
822
821
820
819
818
817
816
815
814
813
812
811
810
809
808
807
806
805
804
803
802
801
800
799
798
797
796
795
794
793
792
791
790
789
788
787
786
785
784
783
782
781
780
779
778
777
776
775
774
773
772
771
770
769
768
767
766
765
764
763
762
761
760
759
758
757
756
755
754
753
752
751
750
749
748
747
746
745
744
743
742
741
740
739
738
737
736
735
734
733
732
731
730
729
728
727
726
725
724
723
722
721
720
719
718
717
716
715
714
713
712
711
710
709
708
707
706
705
704
703
702
701
700
699
698
697
696
695
694
693
692
691
690
689
688
687
686
685
684
683
682
681
680
679
678
677
676
675
674
673
672
671
670
669
668
667
666
665
664
663
662
661
660
659
658
657
656
655
654
653
652
651
650
649
648
647
646
645
644
643
642
641
640
639
638
637
636
635
634
633
632
631
630
629
628
627
626
625
624
623
622
621
620
619
618
617
616
615
614
613
612
611
610
609
608
607
606
605
604
603
602
601
600
599
598
597
596
595
594
593
592
591
590
589
588
587
586
585
584
583
582
581
580
579
578
577
576
575
574
573
572
571
570
569
568
567
566
565
564
563
562
561
560
559
558
557
556
555
554
553
552
551
550
549
548
547
546
545
544
543
542
541
540
539
538
537
536
535
534
533
532
531
530
529
528
527
526
525
524
523
522
521
520
519
518
517
516
515
514
513
512
511
510
509
508
507
506
505
504
503
502
501
500
499
498
497
496
495
494
493
492
491
490
489
488
487
486
485
484
483
482
481
480
479
478
477
476
475
474
473
472
471
470
469
468
467
466
465
464
463
462
461
460
459
458
457
456
455
454
453
452
451
450
449
448
447
446
445
444
443
442
441
440
439
438
437
436
435
434
433
432
431
430
429
428
427
426
425
424
423
422
421
420
419
418
417
416
415
414
413
412
411
410
409
408
407
406
405
404
403
402
401
400
399
398
397
396
395
394
393
392
391
390
389
388
387
386
385
384
383
382
381
380
379
378
377
376
375
374
373
372
371
370
369
368
367
366
365
364
363
362
361
360
359
358
357
356
355
354
353
352
351
350
349
348
347
346
345
344
343
342
341
340
339
338
337
336
335
334
333
332
331
330
329
328
327
326
325
324
323
322
321
320
319
318
317
316
315
314
313
312
311
310
309
308
307
306
305
304
303
302
301
300
299
298
297
296
295
294
293
292
291
290
289
288
287
286
285
284
283
282
281
280
279
278
277
276
275
274
273
272
271
270
269
268
267
266
265
264
263
262
261
260
259
258
257
256
255
254
253
252
251
250
249
248
247
246
245
244
243
242
241
240
239
238
237
236
235
234
233
232
231
230
229
228
227
226
225
224
223
222
221
220
219
218
217
216
215
214
213
212
211
210
209
208
207
206
205
204
203
202
201
200
199
198
197
196
195
194
193
192
191
190
189
188
187
186
185
184
183
182
181
180
179
178
177
176
175
174
173
172
171
170
169
168
167
166
165
164
163
162
161
160
159
158
157
156
155
154
153
152
151
150
149
148
147
146
145
144
143
142
141
140
139
138
137
136
135
134
133
132
131
130
129
128
127
126
125
124
123
122
121
120
119
118
117
116
115
114
113
112
111
110
109
108
107
106
105
104
103
102
101
100
99
98
97
96
95
94
93
92
91
90
89
88
87
86
85
84
83
82
81
80
79
78
77
76
75
74
73
72
71
70
69
68
67
66
65
64
63
62
61
60
59
58
57
56
55
54
53
52
51
50
49
48
47
46
45
44
43
42
41
40
39
38
37
36
35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

NOBILISSIMIS

que genere, que virtute

Inventum

DN. JOHANNI A RHO

deleto

DN. JOHANNI GEOR.

GIO A NÖBEL

DN. ALBERTO PRIDE

DERICO ab Hünigke

DN. MELCHIORI CHRI

STOPHORO ab Hünigke

Episcopus Marchicus Sphen-

delphicus, Comiti palatinus

U. Amicus meus

Guil.





*Salutem Et Observan-
tiam.*

Nobilem non accepit Phi-
losophia Platonem, sed
fecit. Est enim generosa
res, & non parva, sed prae-
stantissima curat. Sapientiâ con-
stat ac prudentiâ, quibus nihil ex-
cellius, nihil augustius. Sapiens &
bona anima, unum hominis bo-
num est. Bonam autem ac sapi-
entem animam philosophia fa-
cit. In sita nobis artium cupido
est, & naturali sciendi labora-
mus desiderio. Infans qui vix o-
re blasulo balbutire quædam po-
test,

)

test,

est, quid hoc, quid istud sit, quaerit. Ut iucundum esse scire, naturalem esse sciendi pruriginem, ostendat. Pecudes oberrant, aut lasciviunt, quid moliantur animis suspensis scire avent pueri. Vident hortos, inque his flores, herbas, segetes, & arbuta, de omnibus institui atque erudiri gestiunt. Ita cupiditatum maxima est sciendi lubido. Hanc Philosophia explet, ipsisque mentibus ignorantiam exuit. Et res, & rerum causas exponit, animumque firmat, ac beatum facit. Veram felicitatem non in iis, quae extra, sed quae intra nos sunt, esse monstrat. Vetè bona non sunt, quae nostra non sunt: nostra non sunt, quae amittere possumus. Vos, o
Nobis

Nobilissimi Juvenes, & accepit
& fecit nobiles Philosophia. Ac-
cepit nobiles genere: fecit nobi-
les virtute. Accepit nobiles san-
guine: fecit nobiles sapientiâ.
Statuistis rectè, philosophiam ex
nobili nō facere ignobilem, quæ
ex ignobili nobilem fecit Plato-
nem. Hinc operam dedistis sin-
gularem huic sapientiæ atq; pru-
dentia matri. Ut bonos, ut sa-
pientes & beatos præstaretis vos
iplos. Quin & Jurisprudencia,
quam suscepistis tractandam, à
Philosophiâ morali derivata est,
quemadmodum ab naturali me-
dicina. Utrique igitur dare ho-
ras, dare vitam ipsam, prudenter
inter vos constituistis. Habet
namq; ætas omnis, ut edere ma-
gnifi-

):(4

gnifi-

gnificum aliquid possit. Glorioso-
sum vobis est, majorum obtinere
splendorem, sed tūc demum so-
lidam futuram gloriam existi-
matis, si & propriā virtute emi-
neretis. Hæc enim integra, hæc
perfecta nobilitas, cum & ipsi fu-
eritis magni, & tales extiterint
majores. Sed quia, quæ vestra
modestia est, laudes non expecta-
vis à me, amplius nihil dico. Il-
lud addo: pergite, Nobilissimi
Juvenes, à Vobis, ab indole ge-
nerosâ, non deficite, & præclara
omnia Patriæ Vestræ pollice-
buntur cordati. Ego verò hæc
exigui Opusculi dedicatione,
testari volui, meum erga Vos,
vestrasque splendidissimas fami-
lias, affectum. Benè agite No-
bilis-

bilissimi Juvenes, & patriam vir-
tute vestrà suo tempore sistite in-
columem.


Dab. Witteb. 17. Jul.
1650.

Vestr. Nobilit.

Observantissimus

JOHANNES Sperling/
P.P.





Lectori Amico

S. P.



Ultra legendi cupiditas impedimento est, quæ esse debeat adiumento. Omnia pariter completi qui volunt, nihil tenent recte. Cibus superfluus non nutrit, sed aggravat. Multorum voces simul capere qui gestit, nullam accipit. Sic memoria ingesta multa elabuntur, atque vim ejus reddunt imbecillam. Hinc magna est utilitas Compendiorum, quibus simpliciter brevitate proponitur veritas. Ubi brevibus summis dicitur, quod prolixè nar-

ra.

ratum alibi. Hinc Synopsin Anthro-
pologiae mandavi typis ut firmarem
memoriam. Frustrà docemur, si
quicquid audimus præterfluat. Ita
verò gessi rem, ut ex Anthropol-
giâ, antè hos tres annos editâ, ma-
ximam partem & res & verba
sumserim. Omnia in discentium
commodum atque utilita-
tem Vale & fave.





SYNOPSIS AN-

THROPOLOGIÆ

PHYSICÆ.

PROOEMIUM.

CAPUT I.

De

Naturâ Anthropologia Phy-
sica.

PRAECEPTA.

I. Anthropologia Physica, est sci-
entia hominis, quatenus cor-
pus naturale est.

II. Dividitur in Psychologiam &
Somatologiam.

A

III. Psy-

III. Psychologia est scientia de animâ humanâ.

IV. Somatologia est scientia de corpore humano.

QUAESTIONES.

I. *Quenam notanda circa Definitivum?*

Resp. Definitivum est Anthropologia Physica. Anthropologia vox Græca est, conflata ex $\tau\omicron\upsilon\ \alpha\upsilon\theta\acute{\rho}\omega\pi\omicron\upsilon\ \kappa\alpha\iota\ \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ notatque doctrinam de homine. Physica verò dicitur, ad differentiam Anthropologiae Sacrae. Homo enim & Physicè, & Theologicè consideratur. Quin plures sunt disciplinae, quae hominem certo considerant modo.

II. *Quenam notanda circa Definitionem?*

Resp. Definitio constat Genere & Differentiâ. Illud est scientia; non
Tota;

Totalis, sed Partialis. Hæc subiectum habet, cum materiale, tum Formale. Illud, homo est; hoc, quatenus corpus naturale. Ad hanc enim metam tendimus ubique. Frustrâ sunt, qui vel occupantur in alienis, vel vagantur extra oleas.

III. Quid notandum circa Divisionem?

Res. Fundamentum hujus sunt, hominis partes essentielles: anima rationalis, & corpus humanum. Hæ partes hominem constituunt, adeò ut sublatâ animâ tollatur homo, & sublato corpore tollatur idem. Jam verò ut se res habet in esse, ita in cognosci: per quæ quid constituitur, per ea etiam cognoscitur: principia essendi fiunt principia cognoscendi.

AXIOMATA.

I. Cognitio sui honestissima est.

Λ 2

Vera

Vera ac solida Philosophia est, nosse se ipsum. Demonax interrogatus, quando philosophari cepisset? Respondit, cum me ipsum cognoscere cepi. Hæc ea statua philosophica, hæc ea mensura rerum naturalium est. Plus in homine quod mireris habes, quam in cælo & terrâ. Verè Sophocles dixit: Nihil æquè stupendum, ac hominem natura parens produxit unquam.

II. Cognitio sui jucundissima est.

Jucundum scire bona propria: curiosum magis, aliena scrutari. Jucundum scire, se cum Deo & Angelis intelligere & velle: se cum brutis sentire: se cum plantis vivere: se cum gemmis, metallis, stellis, cunctis denique corporibus, existere. Ita omnia noverit, qui se norit.

III. Co-

*III. Cognitio sui utilissima
est.*

Utilis ad Dei cognitionem est. Lu-
cet enim hinc infinita Dei potentia,
infinita sapientia, infinita bonitas.
Utilis ad Reipublicæ gubernationem
est. Cor Regis instar vitæ partibus
communicat, quæ iterum mutuis of-
ficiis agunt id, ut conservetur mirabi-
lis structura. Utilis ad sanitatis con-
servationem & restitutionem est.
Hinc enim sanitatis, hinc morborum
petendæ rationes. Utilis ad morum
temperationem, virtutumque exerci-
tium est. Animi enim potentias tradit,
& corporis temperamentum investi-
gat. Utilis Oratoribus, poetis Chirur-
gis, cunctis denique hominibus est.
Omnes inveniunt, quo de gaudere,
quo de gratulari sibi possint.

CAPUT II.

De

HOMINE.

PRÆCEPTA.

- I. Homo est animal rationale.
- II. Dividitur in Animam Rationalem & Corpus Humanum.

QUÆSTIONES.

I. *An homo definiendus animal bipes implume?*

Resp. Hominem ita definiisse Platonem, nec multum abfuisse Aristotelem, censent. Ita respicitur nulli magis homo, quàm eum seipsum contemplatur. Quid enim ad hominis essentiam pedes, aut aliæ partes integrantes? Forma specifica ubi dari potest, assumenda loco differentiae speci.

specificæ. Ea ubi fugit nos recurrendum ad propria. Adest autem in homine forma, unde non opus propriis, nedum partibus integrantibus. Et temerè adjicitur implume, cum ne quidem integrantem partem exhibeat.

II. *An homo præstantissimum habeat temperamentum?*

Resp. Sensus id indicant. Tactu percipimus humiditatem cum siccitate, & caliditatem cum frigiditate, eleganter conspirare. Cutis nostra polita est, æqualis est, maximè temperata est. Animalibus brutis, aut frigidior existit, aut calidior, aut siccior, aut humidior. Aliis testacea est, aliis pilosa, aliis villosa, aliis squamosa.

III. *An tres hominis partes sint, anima, corpus, & spiritus?*

Resp. Duas tantum hominis partes essentielles, Animam Rationalem.

& Corpus Humanum, tria monstrant. Origo prima, Compositio, & Interitus. Formavit Dominus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo vivus. Hinc duo principia, duæ partes. Una è terrâ sumitur, & corpus est; altera ex inspiratione divinâ oritur, & anima est. Omne etiam corpus naturale materiâ & formâ constat: omne animatum, animâ & corpore. Idem de homine dicendum, corporum regulâ & viventium mensurâ. Denique cum moritur homo, cum sarcinam hanc deponit anima, prostant iterum duæ illæ partes. Manet enim corpus examine: anima ipsa semel in hunc rerum ordinem admissa perennat: De tertiâ illâ parte, nihil Scriptura, nihil Natura.

Frustrâ igitur non multiplicanda
sunt entia.

AXIOMATA.

I. Homo ἀνδρῶν.

Hominis nomen, inquit Plato, illud significat, quod cetera quidem animalia, quæ vident non considerant, neque animadvertunt, neque contemplantur; homo autem & videt simul & contemplantur; animadvertitque quod videt. Hinc merito solus ex omnibus animantibus homo ἀνδρῶν est nuncupatus, quasi ἀνδρῶν contemplans, quæ ἰσῶται. id est videt. Non enim acquiescendum in sensibus, sed à sensu ad intellectum deferenda objecta. Quin ex visibilibus mundi, Deum invisibilem cognoscere, vera & propria hominis actio est.

II. Homo μικροκόσμος.

Mundi magni epitome homo est. Habet in se, quicquid magnus ille complectitur. Homo corporeus est: suâ primâ parte essentiali. Plura hîc

miracula, quàm particulę. Homo animatus est: suã alterã parte essentiali. Hęc tantò præstantior corpore, quantò nobilius agens patiente. Homo vegetans est: à triplici operatione, nutritione, augmentatione, & generatione. Per nutritionem conservandus: per augmentationem perficiendus: per generationem propagandus est. Homo sentiens est: à multiplici sensuum, externorum & internorum, operatione: quibus succedunt appetitio & locomotio. His bonã cognoscit: cognita appetit: appetita prosequitur. Homo intelligens est: à ratione: suã ultimã perfectione, quam comitantur, voluntas, risus & sermo. His quę sua sunt, agit: his quę hominem decent, præstat. Hoc illud Dei elaboratum opus, quod omnia complectitur, quę universum amplissimo suo sinu coerces.

III. *Hominum non una origo.*

Alii Extraordinariè, alii Ordinariè facti sunt. Extraordinariè, sine viro & foeminâ, ut Adam: sine foeminâ, ut Eva: sine viro, ut Christus: sine propriis viribus, ut Isaac, Samuel, Johannes. Ordinariè, maris & foeminæ viribus naturalibus. Juxta illud: Crescite ac multiplicamini, & replete terram. Derelinquet unusquisque patrem suum ac matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, eruntq; caro una.

IV. *Hominem vincunt sensibus bruta.*

Visu superant nos aquilæ, auditu anseres. Olfactu canes, gustu gallinæ, tactu serpentes. Aut juxta versum:
*Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
 Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.*
 Noluit optimus rerum conditor, hominem nimis indulgere sensibus. Su-



★ SYNOPSIS ANTHRO-

periores adfuit facultates, quæ exercendæ præ illis. Præstantior gustu intellectus est: jucundior tactu voluntas. Hinc vera hominis voluptas, vera tranquillitas,

LIBER PRIMUS.

DE

ANIMA HUMANA.

CAPUT I.

De

Animæ Humanæ naturâ.

PRÆCEPTUM.

Anima humana est forma hominis, quâ est, intelligit, & vult.

QUÆSTIONES.

I. An in homine detur Anima Vegetativa?

Resp.

Resp. Distinguendum inter Conceptum & Rem. Nostra rationalis anima ob facultates & operationes, quas communes, habet cū animā vegetativā, concipitur ut Vegetativa. Sed ob nostrum concipiendi modū, non est asserenda forma re distincta ab animā rationali.

II. An in homine detur Anima Sensitiva?

Resp. Distinguendum iterum inter Conceptum & Rem. Nostra rationalis anima ob facultates & operationes, quas communes habet cum animā sensitivā, concipitur ut Sensitiva. Qui concipiendi modus, non rem & rem gignit. Anima humana quatenus nobis dat esse, forma dicitur: quatenus vivere, anima: quatenus vegetare, anima vegetativa: quatenus sentire, anima sensitiva: quatenus intelligere, anima rationalis.

Ubi formę multā, numerāti nomina;
una, rem ponderanti.

III. *Quid anima humana hominī
prester?*

Resp. Tria præcipuè: Esse, distin-
gui, & operari. Humanam speciē
dat anima humana; sicut caninam ca-
nina, equinam equina. Differentiam
specificam dat eadem. Hinc defini-
tur homo, animal rationale. Dat
etiam operationes humanas; intelli-
gere & velle. Hoc nostrum munus,
intelligere verum, velle bonum.

IV. *An omnes anima humana ejusdem
sint perfectionis*

Resp. Distinguendum inter per-
fectionem Essentialem & Accidenta-
lem. Æqualitas est, quod ad perfe-
ctionem essentialē attinet. Defini-
tio animæ ex æquo cunctis competit,
maribus ac fœminis, doctis ac indo-
ctis. Punctum hoc insectile est: nil
addi, nil demi potest. Inæqualitas
magna

magna in perfectione accidentali reperitur. Tanta nimirum, quanta corporum varietas. Hic docti & indocti, justi & injusti, boni & mali,

AXIOMATA.

I. *Una hominis anima est.*

Una hominis essentia: una ergò anima, per quam est, quod est. Una hominis vita, & una mors: una ergò anima, quæ præsentia suâ vitam, absentia mortem dat. Ipsa quoque Scriptura Sacra unam tantum nobis tribuit animam: nostrum ergò est, non repugnare, non contradicere. Videmus, audimus, & gustamus per eandem animam, per quam intelligimus, volumus, ridemus, ac loquimur.

II. *Anima humana spiritus est.*

Habet

Habet enim spirituum affectiones, cum Positivas, tum Negativas. Positivæ sunt, simplicitas, intellectualitas, arbitrii libertas. Simplex est, quia nec ex essentialibus, nec ex integralibus partibus composita est. Intelligens est, quia verum cognoscit & à falso discernit. Libera est, quia velle, nolle, ac non velle potest. Negativæ sunt, immutabilitas, indivisibilitas, illocalitas, & immobilitas. Immutabilis est, quia non exiit naturam suam. Indivisibilis est, quia non partes habet extra partes. Illocalis est, quia materiæ expers est. Immobilis est, quia nec loci, nec successionis capax est.

*III. Anima humana tota est,
ubicunq; est.*

Spiritus enim non habet quantitatem, quippè quæ materiam insequitur. Ubi nulla quantitas, ibi nulla
exten-

extensio. Hæc enim formalis ratio
 quantitatis est. Ubi nulla extensio,
 ibi non sunt partes extra partes posi-
 tæ. Ubi non sunt partes extra partes,
 ibi nil nisi totum. Tota ergò anima
 humana est, ubi est: tota in toto, & to-
 ta in partibus. Quicquid est, & quic-
 quid habet, id omne, id totum, & in
 toto & in partibus est. Æquè intelle-
 ctus est in pedibus, parte vilissimâ, ac
 in capite, arce sapientiæ. Æquè vo-
 luntas est in ventriculo, ac in oculo;
 æquè in ab domine, ac in facie.

*IV. anima humana immortalis
 est.*

Non possunt perire spiritus, non
 possunt occidi. Spiritus ergò cum sit
 anima nostra, perire nequit, Et cum
 à corpore non dependeat in operari,
 ab eo etiam non dependet in esse. A-
 liàs operationes præstantiores forent
 essen-

essentiâ. Scriptura S. etiam testatur, superstites manere animas nostras, extincto corpore. Pessima Euripidis vox est: Non esse natum, & esse mortuum, idem puto.

*V. Animæ humanae non primitivè
omnes simul creatæ, & hinc
corporibus immerse
sunt.*

Platonis & Origenis hæc erant somnia, contra Scripturam, & contra naturam. Deus gloriosus unam animam creavit primùm, eandemque Adamo inspiravit. Hinc benedictionem fecit, quâ crescunt & multiplicant se homines, novasque animas producant. Et cum animæ munus sit, informare corpus ac constituere hominem, non per accidens immergitur corpori, non ob bonorum cœlestium fastidium in corporum carceres detruditur.

VI. Anis

*VI. Anima humana hodiè non
creantur.*

Ordinariè quæ fiunt, à Deo immediatè non fiunt. De his tenendum illud: Nec natura sine Deo, nec Deus sine naturâ. Non autem est extraordinaria & miraculosa res animarû, sive rationalium, sive irrationalium productio. Neque etiam hominis generatio imperfectior generatione brutorum est. Communem habet homo facultatem generatvicem cum brutis & plantis. Si his conceditur & corporum & animarum productio, non minus ea concedenda homini. Et effectum quâ benedictio divina in brutis habet, habet etiam in hominibus. Denique, unde peccatum originis, si à Deo creantur animæ?

VII. Anima humana non educuntur è potentiâ materiae.

Falsa

Falsa sententia de formarum educatione est potentiâ materiæ est: animæ humanæ autem applicata, pessima fit. Formæ enim est potentiâ materiæ educæ, materiales sunt. Materialis igitur erit nostra anima, sicut anima canis aut equi. Formæ est potentiæ materiæ educæ, ad mutationem & corruptionem materiæ mutantur ac esse desinunt. Peribit ergo nostra anima unâ cum corpore. Et quænam hæc philosophandi ratio, animam humanam habere pro spiritu, & eandem est potentiâ materiæ educi opinari?

VIII, Animæ rationales generantur a parentibus.

Concessum homini generationis opus est. At proximus generationis terminus forma est. Forma ergo producit, qui generat: animam rationalem parentes. Hominis generatio
uniyo-

univoca est. In univocâ generatione generans eandem essentiam communicat genito, Communicat ergò formam, quæ dat esse formale, quæ dat esse specificum. Qui in actu generationis inanimatum corpus producit, is hominem non producit. Producent autem hominem parentes.

XX. Animæ rationales propagantur per traducem.

Tradux propriè propago est, ab arbore secta, & in aliam arborem ducta, ad generationem promovendam. Sic furculus oculo præditus trunco immittitur, novaq; arbor producit. Hinc ad quodlibet fœcundum Traducis translata est ratio. Quodlibet granum, quælibet glans aut castanea, instar furculi, instar oculi aut gemmæ est. Terræ cum committuntur hæc, stipiti quasi inseruntur.

runtur. Etiam hîc satio, quâdam est insitio. A plantis relata res ad animalia, ipsumq; hominem, ob analogiam. Etiam hominis generatio est satio, est insitio, est plantatio. Etiam semina in matricem immissa præstant, quod surculi stipiti infixi, quod semina terræ mandata.

X. *Animæ rationales & à Patre,
& à matre producuntur.*

Facultas enim generatrix speciei concessa est, sicut nutritrix, sicut auctrix. Uterque autem sexus sub specie comprehenditur. Generat ergò pater: generat mater. Et si generant, generationis terminû proximum producant. A solo patre si esset anima, mater non verà relatione referretur ad filium: mater etiam sibi simile non generaret in specie: mater deniq; deterioris conditionis esset, quàm brutorum

torum foeminae; asina enim cum equo congregiēns mulum gignit. A solâ matre si esset anima, pater verâ relatione non referretur ad filium: pater sibi simile non generaret in specie: pater inferioris conditionis esset, quàm brutorum mares; equus enim cum asinâ concurrens mulum gignit. Stant autem hæ causæ sociæ pro unâ, à quâ unus effectus.

*XI. Anima filii à parentibus in ipso generationis actu produ-
citur.*

Effectus enim qui sit causam requirit, quæ agit. Agunt autem parentes in ipso generationis actu. Post actû quiescunt, & ægrotare ac mori possunt. Ita deniq; anima in semine est, Non ante generationem, sed post generationem, cujus proximus terminus est. Ubi non otatur, sed laboriosa

sa valdè est. Efficit enim velut artifex ex semine ossa, venas, arterias, & universam corporis compagem. Hinc septimo post conceptionem die genitura habet, quæcunque corpus habere debet,

CAPUT II.

De

*Facultatibus animæ humanae
in genere.*

P R A E C E P T A.

- I. Facultates animæ humanæ sunt qualitates, ex animâ emanantes, ut homo istarû beueficio humanas edat actiones.
- II. Sunt quatuor: Intellectus, Voluntas, Ritus & Sermo.

QUÆ.

QVÆSTIONES

I. Quomodo facultates ab animâ differant?

Resp. Realiter, ut accidentia à suo subiecto; ut effectus, à causâ efficiente. Naturalia enim agentia per naturales potentias determinantur ad naturales actiones. Ignis per caliditatem calefacit: aqua per frigiditatem frigefacit. Canis etiam per potentiam latrandi latrat: equus per potentiam hinnendi hinnit: leo per potentiam rugiendi rugit. Sic homo per potentiam volendi vult. Hoc est quod dicitur: *nulla creatura immediatum suarum actionum est principium.*

II. Quomodo facultates à se invicem differant?

Resp. Realiter, ut accidens ab accidente, ut qualitas à qualitate, ut

B

pre-

proprium à proprio. Facultates ex actibus & objectis iudicandæ sunt. Horum diversitas diversitatem facultatum parit. Aliud objectum & aliam actionem visus habet, quàm auditus, quàm olfactus, quàm gustus. Alia ergò hæc atq; alia facultas. Sic aliud objectum intellectus, aliud voluntatis: alia actio intellectus, alia voluntatis est. Diversæ ergò sunt facultates, quæ diversa diversimodè tractant.

III. *An facultates dictæ sufficientiant?*

Resp. Præter necessitatem non sunt multiplicanda entia. Nulla autè cogit necessitas, plures asserere facultates. Sufficiunt illæ ad omnes nostras operationes. Nihil agimus quàm homines, quod non uni ex istis adscribi possit facultatibus. Conscientia nos accusat, nos excusat: & hæc opera intellectus sunt. Admiramur creatoris potentiam ac sapientiam; at hoc munus

munus intellectus est. Liberè bonum
admitrimus, malum repudiamus: at
id voluntatis est. Lachrymas fundi-
mus præ tristitia: ad id per accidens
fit, non quà homines, sed quà in tristi-
rerum statu sumus.

AXIOMATA.

I. Non omnis actio hominis hu-
mana est.

Habemus actiones communes,
habemus proprias. Illæ humanæ non
sunt, quamvis hominis sint. Hæ & ho-
minis, & humanæ sunt. Edere, bi-
bere, ac generare, actiones hominis
sunt; humanæ non sunt. Etiam quer-
cus nutritur, & sibi simile generat.
Videre, audire, & olfacere, actiones
hominis sunt; humanæ non sunt. E-
tiam bos videt, audit, olfacit: huma-
nas actiones edere nequit. Illæ actio-

nes humanae sunt, quae animae huma-
nae facultates in sequuntur: intelligen-
re, velle, videre, loqui. Usus autem at-
tendatur, non abusus. Etiam irride-
re, malè loqui, malè velle, malè senti-
re, actiones hominis sunt; humanae
non sunt. Non enim utrum, sed abu-
sum indicant.

II. Non eadem facultatum dignitas est.

Differunt non parvum & objectis
& actionibus. Intellectus & voluntas
praestantiora habent objecta, quam
sermo & risus. Verum & bonum an-
tecellunt dignitate omnes conceptus
& omnia ridicula. Actiones etiam in-
tellectus & voluntatis praestantiores
sunt actionibus sermonis & risus.
Nobilior intellectio risione est, no-
bilior volitio locutione. Major er-
gò dignitas intellectus & voluntatis,
quàm

quàm risus & sermonis. Quin & major dignitas intellectus, quàm voluntatis est. Præstat enim verum bono: præstat sapere, quàm, appetere.

III. Omnes facultates ab animâ & in animâ sunt.

Anima in seipsâ præclaros istos edit effectus. Anima est causa efficiens facultatû. Non per Transmutationem, sed per Emanationem. Anima est subiectum facultatum. Non Denominacionis, sed informationis. Rectè Scalliger: Homo est, qui intelligit, non anima. Intelligit enim per animam.

IV. Facultates propter aeternitatem datæ sunt.

Natura nihil frustra facit. Non frustra concessit nobis intellectum: sed perficiendus hic est, bonis actionibus, & bonis habitibus. Non fru-

strâ dedit voluntatem : sed ut bonum
eâ prosequamur. Neque risus, neque
sermo sine carent. Huc eunt atque
rendunt facultates omnes, ut sapien-
tem ac bonam habeamus animam.
Animus bonus ac sapiens, unum ho-
minis bonum.

Caput III.

De
Intellectu.

PRÆCEPTA.

- I. Intellectus est facultas animæ
rationalis, ad verum co-
gnoscendum ordinata.
- II. Dividitur in Theoreticum &
Practicum.
- III. Theoreticus est, qui versatur
circa res necessarias, pro fi-
ne theoretiæ habens.

IV.

IV. Practicus est, qui versatur circa res contingentes pro fine praxin habens.

QUÆSTIONES.

I. *Quomodo fiat intellectio?*

Resp. Per species intelligibiles. Ut se habet sensus ad sentiendi modum: ita etiam intellectus ad modum intelligendi. Sensus autem per species sensiles sentiunt. Intelligit ergo intellectus per species intelligibiles. Præsens nempe sit, quod cognoscendum est. Nequit autem objectum ipsum intrare intellectum: sicut nec oculum quidem ingreditur equus aut arbor. Species igitur requiruntur, objectorum vicariæ. Primum quidem sensiles: post intelligibiles. Sensiles ad sensationem: intelligibiles ad intellectionem.

B 4

II. *Quid*

*II. Quid phantasia ad intellectio-
nem conferat?*

Resp. Intelligentem oportet speculari phantasmata. Hæc intellectui phantasia offert, ut habeat exemplar juxta quod species intelligibiles efformet. Hinc læsâ phantasiâ læditur intellectio. Quod enim malè repræsentatur, malè judicatur. Sic melâ holicorum intellectus absurdus & ineptiis infinitis refertus est. Quidam in testâ se commutatum existimabat, indeq; neminem appropinquare sibi volebat, ne frangeretur. Alius ex butyro se compactum ajebat, neq; ignem aut clibanum accedere volebat, corporis metuens colligationem.

*III. An intellectio sit actio or-
ganica?*

Resp. Nullum datur membrum in toto corpore, quo fiat intellectio. Visio fit oculo, auditio aure: at nihil da-
tur

34 SYNOPSIS ANTHRO.

verò addiscuntur. Conscientia enim hominis, non Præceptorum monitis aut sententiis, sed his ipsis principiis innitur. Actus conscientiæ in pratico Syllogismo consistit, cujus Major in principio nobiscum nato fundatur. Et si bruta habent cognitionem suam, si sciunt facienda & omit-tenda; homo non erit conditionis deterioris. Quin ipsa Scriptura Sacra principia hæc confirmat: Cum gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt, fecerint, eæ legem nõ habentes sibi ipsis sunt lex. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: simul attestante conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus.

AXIOMATA.

I. intellectus cognoscit omnia.

Objectum intellectus ens est, latissimè sumtum. Quicquid ens sub
fe

se complectitur, intelligi potest. Cō-
plectitur autem substantias & acci-
dentia: materialia & immaterialia:
universalia & singularia: entia realia
& rationis. Cognoscit corpora natu-
ralia cum affectionibus: cognoscit
brutorum & hominum animas; cō-
gnoscit hominem & Petrum, canem
& hunc canem: cognoscit leonem,
draconem, & capram; nec non ipsam
etiam Chimæram.

II. Intellectus cognoscit se- ipsum.

Non est sapientia solida, scire alia,
se nescire. Intellectus & alia, & se scit.
Novit seipsum, novit propriam di-
gnitatem, vires & statum. Rectè Sca-
liger: *Haberet ipse Deos valde iratos,*
qui se sibi invidissent, si seipsum non in-
telligeret. Sed an per species, an sine
speciebus? Sanè à posteriori, ex ope-
rationibus, per discursum se intelli-
git,

git. Non ergò sine specie, non immediate per seipsum. Quanquam nec per propriam speciem, sed aliarum specierum interventu. Est quidem sibi ipsi satis præsens: sed (ut loquamur sic) entitative, non objective. Nihil habet intellectus præsentiùs, quàm suammet entitatem sed in rei esse, nõ autem in modo cognoscendi, quò specie indiget ad se cognoscendum. Hæc illa intellectio Reflexa, opposita intellectioni Rectæ. Ubi reflectitur intellectus in seipsum, sicut in seipso radii solares. Ubi in e & fit, quod intelligit, & quod intelligitur.

III. Intellectus sub ratione veri cognoscit omnia.

Non ad falsum, sed ad verum conditus est: non falso, sed vero proficitur: non naturâ suâ ad falsitatem & figmenta rapitur, sed per accidens interdum

terdum, sicut voluntas per accidens ad malum. Verum intellectus pabulum verum est: omnia veri gratiâ scrutatur ac rimatur. Ens omne obiectum materiale: verum autem obiectum formale est. Quod maximè verum, maximè intellectui obijcitur. Deus igitur gloriosus, qui summè verus, qui veritas ipsa est, principale intellectus obiectum est. Quanquam nostra infirmitas insplendidissimo obiecto vehementer excutiat. Etiam Sol maximè lucidus est, licet splendorem ejus non suffineat vespertilio.

IV, Intellectus non cognoscit non ens.

Quod enim non est, nec apprehendi, nec comprehendi potest. Entia requiruntur, ad apprehensionem, & comprehensionem. Quod non est, veritatem non habet. At sub veri ra-

tionem intellectus cognoscit omnia. Et
 quomodo cognoscat non ens? Cognitio
 hæc aut à priori, aut à posteriori erit.
 Non à priori, quia non ens caret esse-
 tiâ. Non à posteriori, quia quod pri-
 ori caret, caret etiam posteriori. Po-
 steriorius non est ac dicitur, propter prius.
 Quod caret essentiâ, caret accidenti-
 bus, caret operationibus.

V. Intellectus intelligendo
 fit omnia,

Non secundum reale esse, aliâs in-
 telligendo equum equus fieret: sed
 per modum similitudinis, & receptio-
 nis specierum. Sicut Cæsarem dici-
 mus, Cæsaris imaginem: Regem, ima-
 ginem Regis. Scaliger habet: *Air*
Averroes: intellectum fieri omnia, non
simpliciter, sed ut ipse loquitur, per mo-
dum similitudinis & receptionis. Si enim
fieret re ipsa à idem; homo fieret lapis. Quia
species

Species lapidis fieret intellectus hominis.
 Quid igitur prohibet: sicut unum speculum numero, sit multa, atq; etiam contraria per similitudinem: neq; tamen multa est, sed unum: sic intellectum quoque recipere singularium imaginem, neque tamen fieri singularem? Non enim similitudo affert identitatem.

VI. Intellectus in genere intelligibilium pura est potentia.

Non absolue & universaliter, sed respectivè & particulariter hoc sumendum est. Non de notitiis Innatis, sed de Acquisitis tantum intelligendum est. Non deterior homo bruto aut arbore est: sed habet naturalem cognitionem in intellectu, habet quasdam imaginis divinæ reliquias. Non est intellectus noster similis tabulæ nudæ, cui nihil in scriptum sit: sed

sed est opus legis scriptum in cordibus nostris, quod inexcusabiles nos facit. Pauca tamen sunt, quæ naturâ novimus: plura restant in pueritiâ, in juventute, in omni ætate discenda. Atque sic intellectus pura potentia est, qui recipere potest, quæ non habet.

VII. Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.

Neq; hoc absolutè & universaliter, sed respectivè & particulariter sumendum est. Non de notitiis Innatis, sed de Acquisitis intelligendum est. Habemus quædam sine sensuum ministerio: sed plurima per nuncios hos ac interpretes capimus. Incurrunt autem in sensus alia immediatè, directè & per se; alia mediatè, indirectè, & per aliud. Illa per proprias species sensum afficiunt, ut calor, sonus, sapor, & alia. Hæc, aut per effectum,
ut

ut Deus pervisibilia hujus mundi;
 aut per simile, ut ovum unum per ali-
 ud; aut per oppositum, ut pax per
 bellum; aut per partes, ut mons a re-
 us; aut per fundamentum, ut univer-
 salia per singularia.

VIII. Intellectus mensuratur
 à rebus.

Non pendent res à cognoscente;
 sed cognoscens à reb9. Non quia nos
 dicimus hominem esse doctum, do-
 ctus est, sed quia doctus est, nos ve-
 rum dicimus. Cum intellectus noster
 conjungit ea, quæ per naturam sunt
 conjuncta, vera est intellectio, vera
 cognitio. Cum intellectus etiam di-
 vidit ea, quæ per naturam sunt divisa,
 vera itidem est intellectio, vera co-
 gnitio. Sic veritas cognitionis in istis
 est: homo est animal, homo non est
 leo. Cum verò intellectus conjungit
 ea, quæ per naturam non sunt con-
 junctâ

juncta; aut cum dividit ea, quæ per naturam non sunt divisa falsa fit intellectio & nulla cognitio. Sic non est veritas in his: homo est brutum, homo non est animal.

IX. Intellectus apprehendit simplicia, componit ac dividit & discurtit.

Hæ sunt illæ tres operationes intellectus: apprehendere simplicia, componere ac dividere, & discurrere. Rectè Scaliger: *Est intellectus opus triplex. Primum, cognitio rerum simplicium, ut Leonis. Secundum, ubi conjuncta cognoscit: è quibus consunt, quas nostri vocant Propositiones. Ciceronianè Effata. Hunc actum iccirco nostri Barbari complexum appellant: ut homo est animal. Tertium est, cum his ita conjunctis adjicimus alia: ut ex eâ compositione aliquid aliud educamus. Hæc dicitur ratiocinatio.*

X. Scientiam applicat conscientiam.

Conscientia ad intellectum practicum pertinet. Accusat nos, & excusat, damnat & solatur. Scientiam enim applicat ad opus, vel factum, vel faciendum. Circa illud testificatur; circa hoc, suadet aut dissuadet. Cum bonum est, nos laudat & solatur, & contra omnium insultus lætos atque intrepidus reddit. Cum malum factum est, accusat, reprehendit, damnat ac mordet. Faciendum si bonum, suadet, obligat, & instigat. Si malum, dissuadet, retrahit, & frena inijcit.

Caput IV.

De

Voluntate.

P. R. A.

PRÆCEPTA.

- I. Voluntas est facultas animæ rationalis ad bonum appetendum ordinata.
- II. Conjungitur cum hac Liberrum Arbitrium, quod est facultas, quâ homo ab intellectu cognita liberè vel suscipere, vel repudiare potest.

QVÆSTIONES.

I. *Quenam voluntatis actiones sint?*

Resp. Velle, nolle, & non velle.
 Velle est actus approbationis simplicis. Sic vir bonus vult salutem patriæ: parens salutem filiorum: maritus salutem uxoris. Nolle est actus repugnantie simplicis. Sic nolumus perire literas, perire veritatem & triumphare falsitatem. Non velle est actus medi-

medius & mixtus. Sic non vult i-
re merces mercator, quas tamen in
mare projicit, ut vitet naufragium.

II, An voluntas malum velit?

Resp. Nemo adeò perversus, adeò
sibi ipsi contrarius est, ut appetat,
quod malum est. Malum deltruendi
& corrumpendi vim habet. At nihil
in totâ rerum natura destructionem
& interitum sui appetit. Solum bo-
num amabile. solum appetibile. Sunt
tamen mala quædam apparenter bo-
na. Hæc vult voluntas, sed non sub
specie mali. *Sunt virtutibus, inquit
Seneca, vitia confinia, & perditis quoq;
ac turpibus rectis similitudo est. Sic men-
ditur prodigus liberalem: cum plurimò
inter sit, utrum quis dare sciat, an ser-
vare nesciat. Multi sunt, qui non donat,
sed projiciunt. Non vosco ego liberalem,
pecunia sua iratum.*

III, An

*III. An voluntas babeat imperium,
& quale quantumq; illud sit?*

Resp. Nulla potestas voluntatis est, in potentias Naturales: Nutricem, Autricem, & Generatricem. Venter caret auribus, & pusilli adjicere nequeunt staturæ suæ cubitum unum: multi volentes generare, non generant: & multi generant nolentes. Neque Vitalis facultas subjecta voluntati est. Non respiramus cum volumus, nec ut volumus, nec quamdiu volumus. Etiam sensuum actiones in voluntatis potestate non sunt. Sentimus frigiditatem & caliditatem inviti. In appetitum sensitivum verò & locomotivam dominatur voluntas. Disponit appetitum sensitivum, ut non sibi, sed rationi serviat. Jubet locomotivam, ut corpus huc illucq; moveat. Ad voluntatis imperium stamus, ambulamus, manum poculis admovemus, aut retrahimus. Quia & intel-

intellectum ipsum movere non dubitat. Unde studemus contemplari, & discurremus, quando & quicquid volumus.

IV. An detur liberum arbitrium?

Resp. Non neganda nobis potestas agendi aliquid, aut omittendi. Experientia docet, nos posse agere & non agere, hortos plantare, domos adificare, magistratui obedire, ludere, bibere, & ab iisdem abstinere. Multa etiam prodirent absurda, si tolleretur libertas. Vanus esset conatus instituendi pueros, frustra fierent exhortationes, frustra laudarentur boni, vituperarentur modi, paenisque injuste afficerentur improbi.

AXIOMATA.

I. Voluntas dependet ab intellectu.

Præ-



Præcedere atq; præluere debet intellectus. cum ignoti nulla cupido sit. Monstrare atq; proponere voluntati objectum debet, quatenus rationem veri & entis habet. Ubi pulchra actio- num conspicitur series. Præit cogni- tio intellectus: sequitur hanc volun- tas: hanc deliberatio: hanc decre- tum: hoc proæresis: hanc actio: hanc præmium aut supplicium.

**II. Libertatis ratio est in indiffe-
rentiâ ad utrumlibet.**

Voluntas per se & à se excitatur ad appetenda & fugienda. Non rapit intellectu voluntatem ad amplecten- dum bonum, sed monstrat id tantum ac proponit. Pòst à voluntatis liber- tate est, an velit, an nolit appetere bo- num propositum. Tunc positis omnibus ad agendum requisitis, po- test agere & non agere, libertate con- tradi-

traditionis: agere hoc vel illud, libertate contrarietatis. Non autem includitur libertas peccandi. Sic enim extra suum objectum vagaretur. Naturaliter ad bonum vergit: in hoc sese exercent.

III. Libertas tollit necessitatem.

Non necessitatem divini decreti. Potest aliquid decretum esse à Deo, & tamen liberum, Liberè Deus fecit mundum, sed ex decreto. Liberè dat nobis vitam æternam, sed ex decreto. Nec necessitatem præcepti. Potest aliquid præceptum esse, & tamen liberum. Libera est virtus, & tamen præcepta. Liberè discipuli obediunt Præceptoribus, ex mandato tamen & præcepto divino. Nec necessitatem promissi. Potest aliquid promissum esse, & tamen liberum. Liberè ducitur

uxor, etiam cui promissa antè fides est. Tollit tantùm libertas necessitatem Coactionis. Non potest aliquid coactum esse & liberum. Non potest dari coacta libertas. Si cogitur rusticus, non liberè facit. Si cogitur Lucretia, liberè non facit.

Caput V.

De

Risu.

PRAECEPTA.

- I. Risus est facultas animæ rationalis, ad lætitiã repræsẽtantandã ordinata.
- II. Opponitur huic Fletus, ad tristitiã repræsẽtantandã ordinatus.

QVA.

QVÆSTIONES.

I. An solus homo rideat?

Resp. Proprium hominis ridere est proprium, non in primo modo, nec in secundo, nec in tertio: sed in quarto. Hinc versus:

*Est medicus, bipes, canescens, deniq;
risu.*

Sumitur autem risus pro actu primo, non pro secundo. Sicut propria intelligenda sunt de potentia, non de actu. Hinc omnibus hominibus competit, ut inveni fuerint Agelasti.

II. Cur homines rideant?

Resp. Ridemus ob causas non unan: in una tamen convenientes. Meliorem fortunam risus amat, non paupertatem, non ægritudinem, non alia vitæ incommoda. A gaudio oritur: gaudium autem à causa, multiplici.

Gaudemus hoyis, jucundis, repenti-

C 2

nis,

nis, levibus, ludicris, ac similibus rebus. Hinc tot risus causas habet: sed remotas, quæ sine lætitiâ nihil valent. *Quis non ridet*, inquit Fracastorius, *qui videat duos monachos super equo alio, quo, qui calcitret, & dejicere illos patres velit?* nimirum appositissima res est, & facetissimus casus, quod si periculû ali- quod grave eis immineat, jam non risus fiet, sed timor & pietas, quoniam res seria sit, non amplius jocosa & ludicra.

III. Cur ad risum alii promptiores, alii tardiores sint?

Resp. Fæminæ plus rident viris, plus pueri & juvenes senibus, plus sanguinei melâcholicis, plus sani ægris. Non enim lætamur omnes æquè, sed magis fæminæ viris, pueri & juvenes senibus, sanguinei melâcholicis, sani ægris. Gaudia dant nova, jucunda, ludicra, & similia. Pueris omnia nova, hinc risus ille frequens. Minus sapien-

piantes fœminæ viris sunt : hinc ri-
dent sæpius. Minus lætantur ægri,
hinc minus rident. Lætantur paren-
tes ob parvulorum suorum gesticu-
lationes: hinc in risum profundun-
tur, ac sibi tacitè gratulantur.

*IV. An Democriti risus perpetuus
atq; insanus fuerit?*

Resp. Putant id communiter, sed
malè. Ita inter alia multa Hippocra-
tes de Democrito. *Hic composiè admo-
dum librum super genua habebat, & alii
quidam utrâque ex parte ei adiacebant,
crebra autem animalium cadavera, per
totum dissecta, accumulata erant. Hic
semper interdum contento studio scriptioni
incumbebat, interdum multum subsistēs,
& apud se anxie cogitās quiescebat. Dein
dè non multò post his peractis exurgēs de-
ambulabat, & animalium viscera atten-
tè inspiciebat, hisq; depositis reversò rur-
sus desidebat.* Non hæc insani, sed ho-

minis veritatem anxie inquirentis descriptio est. Et Democritus ipse de risu suo ita habet : *Ego unum hominem video, amentiam quidem referunt, recte factis vacuum, in omnibus consiliis pueriliter agentem, nullius utilitatis gratiam immensos labores tolerantem, terra fines & infinitos recessus argenti & auri comparandi gratiam immoderatis cupiditatibus peragentem, & nunquam his comparandis cessantem, semper vero ad copiam tumultuantem, ne si ea destituatur, pudore suffundatur, quod felix non dicatur.*

V. Vnde lachrymae

Resp. Ex tristitia. In tristi rerum statu flemus, ob mortes amicorum, ob corporis dolores, aliaque mala. Et cum a latris dimanant quandoque lachrymae, per accidens fit, ac praeter intentionem. Non gaudii fructus lachrymae sunt, sed humanae miseriae. Miscentur nonnunquam causae, quarum mistura

non

non unam edit prolem. Rei tristes recordatio cum jungitur, cadunt lachrymæ,

VI. Cur infantes, pueri, & mulieres, facilius ac largius lachrymentur?

Resp. Ob humiditates, quibus abundant. Humidi sunt infantes, humidi pueri, humida mulieres. Turgida igitur oculorum glandula levissima de causâ istos lachrymarum dejiiciunt imbres. Hinc femina quoties volunt, lachrymis genas irrigant. Juxta versum:

Neve puellarum lachrimis movere, caveto;

Ut flerent, oculos erudière suos.

III. Cur tristes in lachrymarum profusione sentiant levamen?

Resp. Quia cerebrum exoneratur. Omnes repletiones cum evacuantur.

voluptatem post se relinquunt. Pruritu qui molestantur, cum se scalpunt leviter, ut acri humori aperiant viam, voluptatem capiunt ingentem. Tanta suavitas cum scalpturâ conjungitur, ut pueri ne verberibus quidem ab eâ arceri possint.

AXIOMATA.

I. Affectant risum bruta, sed non habent.

Animam rationalem sequitur risus, non secus ac intellectus, aut voluntas. Bruta igitur rationali animâ destituta, risu carent. Sicut rationem habere videntur, sed non habent: ita risum imitantur, verè non rident. Risus etiam faciem requirit, quæ solitis hominis est. Risus enim causæ illæ sunt. Efficiens, anima rationalis, facultas videndi, cor, diaphragma, & musculi. Finis, lætitiæ explicatio

Mate,

Materia circa quam; seu objectum,
latitia. Forma oris ac faciei diductio.

II. Risus effusior parit mo-
lestiam.

Fit enim risus per dilatationem
cordis, motum diaphragmatis, &
musculorum thoracis, eorumque qui
à lateribus buccæ sunt. Agitatio tot
membrorum non absq; contraniten-
tia ac difficultate fit. Cor cum primis
continua illa expãsiõne læditur, quia
non sufficienter perflatur. Et adeò ef-
funduntur cum sanguine spiritus, ut
valde rubescant, quin & moriantur
nonnunquam, ridentes.

III. Lachrymæ excrementum
sunt.

Plato, Aristoteles, Theophrastus,
& Vallesius scripsere, ejusdem natu-
ræ esse lachrymã, sudorem, & urinam.
Excrementa enim sunt, sed non ejus-
dem

dem coctionis. In cerebri coctionibus, duo excrementorum procreantur genera. Unum tenue, alterum crassum. Tenue vel vapor, vel humor est. Vapor per cranii suturas prudētissimè formatas exit. Humor in oculorum glandulas detruditur, & ex iis per constrictionem toras propellitur. Atq; hæc aquositas lachrymarum venit nomine. Crassum verò excrementum iterum vel magis, vel minus tale est. Hoc per nares ad palatam excernitur: illud ad aures ablegatur.

IV. Lachrymæ solius hominis sunt.

Solus homo ridet: solus homo lachrymatur. Ridere & flere actus contrarii sunt. Contraria autem commune postulant subiectum. Habet etiam homo amplissimum cerebrum inter omnia animalia. Copiosum cerebri

rebrum copioso eget alimento. Hinc
 plura veniunt excrementa, quia qua-
 libet coctio excrementa gignit. Plo-
 rat itaq; homo occurrente molestia
 ac tristitia. Fletus prima lucis salute-
 tio est, prima vox, primum humani-
 tatis argumentum. Et primæ diei cõ-
 sentit omnis sequentium dierum or-
 do.

Caput VI.

De

Sermone.

PRÆCEPTUM.

Sermo est facultas animæ
 rationalis, ad res mente conce-
 pras enunciatione manifestan-
 das ordinata.

QUESTIONES.

I. *An solus homo loquatur?*

Resp. In sermone pulchro cohae-
 rent ordine, Res, Conceptus, & Ver-
 ba.

ba. Verba conceptuum sunt, conceptus rerum. Res concipimus, conceptus verbis exprimimus. Bruta nec res concipere, nec quicquam verbis exprimere queunt. Ubi nulla ratio, ibi nullus sermo. Imitantur quandoque bruta voces nostras: sed simile non est idem. Manet Illud Scaligeri: *Ratio est manus intellectus: rationis oratio: orationis manus.*

II. *An sermo homini naturalis sit?*

Resp. Facultas non confundenda cum exercitio. Naturale homini est, posse loqui, posse animi sensa pronuntiatione exprimere. Exercitium autem usu & assuefactione habetur. Adamo exercitium, æq; naturale fuit ac facultas: at posteris nulla lingua naturalis, infantes omnes à parentibus, nutricibus aut aliis, addiscunt linguam. Psammetichus duos aliquando pueros in sylvis, ubi nullam pror-

prorsus audirent vocem, educari iussit. Ut linguam, qua sponte locuturi essent, primam fuisse atque homini maximè naturalem, iudicaret. Pueri post tres annos ad palatium regium protrecti, voculam BEC reddiderunt. Rex acersitis sapientibus, accepit vocem BEC in Phrygiâ lingua panè significare. Conclufit, linguam Phrygiam homini naturalem & primam esse. Deceptus, quod pueri inter oves & capras fuissent educati.

III. *Quenam instrumenta sermonis sint?*

Resp. Principale instrumentum lingua est: minùs principalia, aspera arteria, pulmo, palatum, labia, dentes. Hinc causæ sumendæ, cur quidã malè proferant literam R, alii literam S. Cur feminæ vox subtilior voce viri? Cur mutantur voces hom. nū post secundum septennium? Cur ebrii &

balbutiant, & terdè loquantur? Cur
 graviores & obscuriores voces senum
 sint, quàm juvenum? Cur gravior
 post crapulam vox, gravior etiam la-
 borantibus coryza?

AXIOMATA.

I. Sermo datus ad auxilium, non
 ad perniciem.

Linguam nobis dedit Dominus,
 interpretem operum suorum. Id agē-
 dum linguâ, ut ipsi; habeamus ani-
 mam rectam, bonam, ac magnam, &
 aliis præstemus eandem. Tolle lin-
 guam, cessabit omnis religio, dissol-
 vetur societas, concidet totus mun-
 dus. Sed tanta hominum malitia est,
 ut meritò exclamet Scaliger: *Utinam
 maxima hominum parti lingua potius,
 quàm cornua deessent: meliores multò
 essemus* Plurimi enim linguâ tam pro-
 digiosè mentiuntur & calumniantur,

ut

ut deterrimum & fœdisſimum in iſtis membrum lingua ſit.

II. Sermo index morum eſt.

Qualis homo ipſe eſſet, talem ejus eſſe orationem, orationi verò facta ſimilima, factis vitam, ſtatuebat Socrates. Hinc cum filium ſuum ad ipſum quidam mitteret; Loquere, dicebat, ut te videam. Sanè compoſita vita cum compoſitâ pronounciatione conjuncta eſt: præcipitata verba & concitata, ſenem animum non arguunt. Garrulitas etiam intemperiem animi monſtrat. Zeno adoleſcenti confidenter loquenti dicebat: Non dixerim, ô adoleſcens, quæ mihi ſuccurrunt.

III. Sermo conceptus exprimat.

Inqui-

Inquirimus veritatem in rebus, & in nobismetipsis veritatis obliviscimur. Acquisitu difficilima petimus: facilima negligimus. Procul videre volumus omnia, cominus nihil ceruimus. Multi aliud ore loquuntur, aliud intus sciunt ac sentiunt: aliud sedentes, aliud stantes promunt: aliud cor in facie, aliud in pectore fovent. Sed & naturæ repugnant, & iustissimi Dei leges violant. Augustinus habet: *Væ duplici corde, de suo partem faciunt Deo, partem faciunt Diabolo. Iratus Deus, quia ibi fit pars Diaboli, discedit, & totum Diabolum possidet.*

LIBER SECUNDVS.

DE

Corpore Humano.

Pars Prima.

DE

PARTIBUS SIMILIARIBUS.

Caput I.

DE

Corporis Humani naturâ.

PRAECEPTA.

I. Corpus humanum est materia hominis, eleganter & artificiosè ad varias operationes edendas constructa.

II. Dividitur in partes Similares & Dissimilares.

QVAE.

LIBRE DVS. QUÆSTIONES.

I. Quid sit pars corporis humani?

Resp. pars corporis humani est, quod ad integritatem ejus requiritur. Sicut pars arboris, quæ ad integritatem arboris pertinet: pars mensæ sine quâ mensa non est integra. Brachia & pedes partes hominis sunt, quia sine istis homo integer non est. Fœtus pars gravidæ non est, quia integra manet post partum, & integra fuit antequam grvida esset.

II. An è corpore humano serpentes nascantur?

Resp. Non nisi per accidens. Multa passim cadavera humana sunt. Totâ terra forsan serpentibus repleretur, si fieret illa mutatio. Delectantur serpentes dulcedine: hinc jungunt sese cadaveribus. Nutrimentû ibi quaerunt, non ex substantiâ nostrâ ortum trahunt.

trahunt. Si semel forsan in sepulchris
probè munitis fuere inventi, univer-
sale hinc non conficiendum thema.
Circumstantiæ inquirendæ, quarum
ignorantia non ferat falsitati patro-
cinium.

III. *An corpora humana terra man-
data putrescant?*

Resp. Non confundenda mors na-
turalis cum violenta. Cadavera ho-
minum naturali morte extinctorum
arida fiunt & sicca, tandemque in te-
nuissimum abeunt pollinem, & lenis-
simo motu aut fletu dissipantur. De
violenta morte extinctis non unum
ferendum iudicium. Quidam enim
jam antè vitiati sunt putredine, aut
manifesta, aut occulta Serpere in his
vitium, & in proximam quamq; par-
tem transilire, nil vetat. Ubi verò nec
latens, nec patens in corpore putre-
do, haud putrescit corpus frigidum &
sicco elemento concreditum.

AXIO-

AXIOMATA.

I. Corpus humanum maximum naturæ miraculum est.

Nihil poterat exoptare sibi homo, quod non habeat præstantius votis. Animam accepit omnium formarum præstantissimam. Sed nec corpus tanto hospite indignum. Etiam hoc mensura ac regula corporum omnium. Tot ossa, tot venæ, tot membranæ junguntur, & tam concinnè componuntur, ut nulla lingua effari, nulla mens mirari possit satis divinum artificium.

II. Nulla pars vitæ caret.

Anima omnes subjecti sui partes informat, animat, & vivificat. Quod ergò vitæ caret, anima caret. veraque corporis pars non est. Duplex cōnectio requiritur in parte viventis, Ma-
thema-

thematica & Physica. Mathematica,
quâ quantum quanto unitur. Physi-
ca, quâ vivum vivo. Ramus mortuus
nondum ab arbore resectus, pars cor-
poris non est, quia non vivit.

III. Nulla pars caret actione

aut usu.

Nihil frustrâ sapiens natura moli-
tur. Omnes itaq; partes corporis hu-
mani vel actionem, vel usum habent.
Quod frustrâ est, non est. Quilibet
pars quidem actionem non edit: re-
quiritur tamen ut actio fiat. Oculi
partes tunicæ sunt, sed non vident.
Visionem tamen promovent, dum
humores defendunt, & speciebus vi-
sibilibus transitum con-
cedunt.

Caput

Caput II.

De

Partibus Similaribus

in genere.

P R A E C E P T A. III

I. Partes similes sunt, quarum
 particulae omnes ejusdem
 naturae & nominis inter se
 & cum toto sunt.

II. Sunt autem ossa, cartilagine
 fibrae, venae, arteriae, nervi,
 membranae, tendines, car-
 nes, ligamenta, cuticuli,
 cutis, pinguedo, pili & un-
 gues.

Q U A E S T I O N E S.

I. Quotuplicem partes similes in-
 ter se & cum toto habeant con-
 venientiam?

Resp.

Resp. Duplicem: nominis & rei. Omnes idem inter se cum toto nomen habent: omnes etiam eandem inter se & cum toto essentiam habent. Quævis pars ossis & nomen & naturam ossis habet. Quævis pars carnis est & dicitur caro. Non secus ac quælibet terræ particula terra est, quælibet aquæ pars aqua.

II. An pars similis esse possit organum?

Resp. Organum dupliciter sumitur, in sensu latiori & strictiori. Illo pacto est pars certo modo conformata, propriam actionem edens. Hoc est pars è variis similaribus partibus constans, perfectam actionem edens. Priori modo partes similes possunt esse organa: ossa enim, venæ, arteriæ, nervi, habent conformationem suam, & edunt actionem propriam. Posteriori modo partes similes organa esse nequeunt; neque enim è variis

riis similaribus partibus constat, ne-
que perfectam actionem edunt.

AXIOMATA.

I. Non eadem partium similarium
simplicitas est.

Quædam simpliciter eandem naturam & appellationem habet, ut membrana, cuticula, fibra, & alia. Ubi non tantum intuitu primo, sed & sensu accuratiore ac ratione illæ ponderatæ, eandem exhibent substantiam. Quædam non omni partium carent diversitate, licet primo intuitu eandem obferant naturam. Sic in venarum, arteriarum, & nervorum substantiâ, fibræ inveniuntur, quas in cuticulâ membranâ, & aliis, non habemus. Hinc nata divisio partium Similarium in Primas & Secundas.

II. Urina sanies, & fel, similes res
partes non sunt.

Ad

Ad corporis integritatem non faciunt, unde ne partis quidem veniunt nomine. Nec ergo similes, nec dissimiles partes sunt. Excrementa sunt, quæ natura ejicere, non autem cum toto corpore conjungere, & eodem uni vitæ donare conatur.

II. Sanguis, semen, lac & spiritus, similes partes non sunt.

Etiam hæc partis nomine non veniunt, quia ad corporis integritatem non faciunt. Non mutilatur corpus ob sanguinis, seminis, lactis, & spirituum absorptionem. Solæ partes quæ solidæ & continentis dicuntur, ac humidis seu contentis, & spirituosis seu impetum facientibus, opponuntur in præsentī contemplatione intelliguntur.

D

Caput

Caput III.

De

Ossibus.

P R A E C E P T U M.

Ossa sunt partes similes, frigidissimæ, siccissimæ, & durissimæ, ab animâ è seminis portione crassiori, ad totius stabilimen, retitudinem, & figuram formatæ.

Q U Æ S T I O N E S.

I. Quodnam ossum Nutrimentum sit?

Resp. Sanguine omnes partes integrantes nutriuntur, carnes, intestina, ventriculus, & ipsa quoque ossa. Hic sanguinis usus, hic finis est. Hinc venas cernimus per durissimorum ossum foramina transcentes. Ubi vena, ibi

ibi sanguis. Ubi sanguis, ibi nutritio
pet sanguinem.

II, An ossa sentiant?

Resp. Ossa non omnia eandem ob-
tinent rationem. In quædam sensi-
bilia organa inserantur; in quædam
hæc non feruntur. Priora sentiunt,
posteriora sensu carent. Dentes cum
in abditis partibus membranæ & ner-
vis constant, sentiunt exquisitè. Ossa
reliqua membranarum ratione dolo-
rem percipiunt. In se verò sumta vo-
runtur, secantur, & franguntur sine
sensu.

*III, An feminarum ossa differant
ossibus virorum?*

Resp. Differunt sanè, & quidem
duritie. Virorum ossa duriora sunt
feminarum molliora. Differunt
etiam magnitudine. Quædam, non
omnia. Os Innominatum in fami-
nis majus est, quàm in viris, ob uteri
gestationem. Differunt deniq; Scele-

ti longitudine. Sunt enim communi-
ter viri fœminis longiores.

AXIOMATA.

I. Ossa juncta Sceletum faciunt.

Σκελετός est exiccatus, arefactus.
Ossa omnia à capite ad calcem tanto
artificio juncta sunt, ut unum refe-
rant corpus. Hoc cum aridum, cum-
siccum sit, Σκελεστόν dicunt. Noluit
creator hominem uno constare osse,
ne trunci instar, aut Marpesiæ cautis,
maneret immotus. Noluit etiam ossa
divulsa ac dispersa esse, ne præclaris
actionibus destinatus, careret neces-
sariis.

II. Ossa stabilimen, & rectitudinem & figuram dant.

Hæc ea fulcra & fundamenta to-
tius corporis, non secus ac columnæ
integræ domus. Recti incedimus, ob
ossa

ossa oblonga, quibus deslituti vermiculorum more reperemus. Speciem ac figuram partes ab ossibus habent: rotunda facies, ob rotunda ossa: longipedes, longa brachia, ob ossa longa.

III. Ossa flecti & extendi possunt, usq; ad ætatis annum vigesimum.

In pueris & adolescentibus tenera ac mollia sunt ossa. Hæc flecti queunt, instar virgultorum; unde pandi, vacui, valgi, plauti & planci fiunt. Hæc etiam extendi possunt, ad quam extensionem totum corpus sumit augmentum. Post annum vigesimum exiccari & arescere incipiunt, adeo ut nec flecti, nec extendi possint. Atque hinc statum ac definitum in hominibus accretionis tempus. In senibus si flectuntur quandoq; & incurvantur, per accidens fit, ob pravam dispositionem.

D 3

IV.

IV. Os fractum denuò coalescit.

Cum reponuntur rectè ossa fracta coalescunt, sed per medium heterogeneum, non homogeneum. Callus enim intercedit, qui non quidem os est, sed tamen quàm proximè ad ossis naturam accedit. Fieri potest, ut in puerulis coalitus fiat, sine medio heterogeneo. Quemadmodum etiam caro secta sine cicatrice non unquam coalescit. Hoc est quod vocant, coalitum secundum primam intentionem, & secundum secundam intentionem.

V. Non omnia ossa medullam habent.

Cranium, tria ossicula auditui dicata, ossa tarsi, & sesamoidea, medulla carèt. Hæc enim aut tam solida, aut tam parva sunt, ut nec cavitas adsit, nec medulla inveniat. Et in le-

ne

ne, nec magna, nec parva ossa medullam habere dicunt, Quin eò progressi nonnulli, ut ossa leonum sedè solida dixerint, ut collisis iis invicem ignis elici possit. Sed ne quid nimis!

VI. Maxillæ hominum rotundiores, quàm brutorum sunt.

Orbiculares in homine maxillæ sunt, in equo, cane, porco aliisq; brutis, oblongæ. Bruta enim manibus carent, ad capiendum itaq; cibum à terrâ inclinari oportuit, & ad moveri caput. Atq; sic oblongis maxillis ac prominentibus, velut manibus capiunt edulia. Homo verò cum manibus possit capere & ori ad movere cibum, rotundas accepit maxillas, easq; venustiores.

VII. Superior hominis maxilla immobilis est,

D 4

Infe-

Inferior movetur, cum loquimur,
aut cibum capimus, superiore immo-
ta. Periret enim faciei nostræ decor,
si moveretur superior. Contraheretur
& corrugaretur facies, qua nihil ju-
cundius in toto corpore.

VIII. Dentes in utero for- mantur.

Ut aliæ partes ex semine trahunt
ortum, sic & dentes. Distinguendum
autem inter formationem Perfectam
& Imperfectam. Illa in infantibus
post menses aliquot habetur, non abs-
que exquisitissimis doloribus. Hæc in
utero fit, à seminis materia crassiori.

IX. Dente uno exento, alter sui ordinis excedit.

Definitum augmentationis termi-
num aliæ corporis partes habent: sed
dentes augentur per petuò. Quantum
verò augentur, tantum etiam minu-
untur.

untur, mutuo artritu. Exempto verò uno, alter qui è regione respondet, prominentior atq; longior redditur. Non enim habet contranitentem, resistentem, ac deterentem.

X. Numerus costarum idem in viris ac fæminis.

Duodècim in quovis latere habentur costæ regulariter. Figmentum est, unâ costâ à mulieribus superari viros, ob costam ab Adamo pro ædificandâ fæminâ avulsam. Non ad totum sexum trahendum, quod unius individui fuit. Contingere tamen potest, & in viris, & in fæminis, ut nunc plures, nunc pauciores inveniuntur costæ. Sicut in manibus ac pedibus etiam interdum sex digiti, nonnunquam quatuor aut tres reperiuntur. Illud ob materiæ abundantiam, hoc, ob ejusdem defectum.

D 5

Capit

Caput IV.
DE
Cartilagine.

PRÆCEPTVM.

Cartilago est pars similis, frigida, sicca, dura, & flexilis, ab anima è crassâ seminis parte, ad securum molliorum partium stabilimen, & ad externos impetus eludendos formata.

QVÆSTIONES.

I. An cartilago sentiat?

Resp. Extraneum quid sensus est; quibusdam cartilaginibus concessus, aliis negatus est. Scilicet in quasdam sensilia organa disseminantur; in quasdam ea non feruntur. Palpebrarum cartilagine nervi tângunt, hinc sentiunt. Cartilagine artuum
nervis

POLOGIÆ PHYSICÆ. 8

nervis carent, unde & destituuntur sensu.

II. Cur frigore ledantur maximè aures & nares?

Resp. Quia cartilagine constant, quæ per se frigida. Cum igitur frigidum frigidum additur, crescit effectus affectusque. Abdomen verò aut suras frigus non lædit facilè. Partes enim carnosæ caliditatem habent, quæ frigori resistit.

AXIOMATA.

I. Cartilaginis & ossis magna convenientia est.

Frigida sunt ossa, frigida etiam cartilago est. Ossa siccitatem habent, habet eandem cartilagine. Ossa dura sunt, duræ etiam cartilagine. Gradibus tantùm qualitates illæ in ossibus & cartilaginibus differunt. Peculiaris autem cartilagini flexibiliras

D 6

est :

est: hæc enim negata ossibus. Tibia non flectitur, sed aures, sed nasus, ob cartilagineam quâ constant.

II. Cartilago ad externas injurias amovendas aptissima est.

Cedit enim fortiori ob flexibilitatem. Aures cartilagineæ sunt, hinc non franguntur, non admodum vi externâ premuntur. Cedente enim corpore corpori nulla fit læsio.

III. Ossium capita cartilagine obducta sunt.

Ut securiores essent articuli, & ut motus fieret promptius. Cernere id licet in articulatione humeri & scapulæ; brachii & radii, tibiæ & femoris.

IV. Non omnis cartilago connectitur ossibus.

Palpebræ cartilagineæ sunt, sed non connectitur ea cartilago ossibus.
Carti,

Cartilagineæ asperæ arteriæ, laryngis, epiglottidis & auricularum, conjunctæ cum ossibus non sunt.

Caput V.

De

Fibris.

PRÆCEPTUM.

Fibræ sunt partes similes, frigida, sicca, & subtiles, ab anima è tenaci seminis parte ad motum & carnis custodiam formatae.

QVÆSTIONES.

I. Ob qualem actionem fibræ partibus insint?

Resp. Actio duplex est, Privata & Publica. Privata, quam pars propter se edit, ut attractio nutrimenti. Publica, quam pars pro toto animali suscipit, ut coctio.

D 7

sunt,

sunt, ob publicam & communem actionem. Fibras habet vesica urinaria, non ut attrahat nutrimentum, sed serum. Fibras habent intestina, ut contrahant se ad chyli & excrementorum propulsionem. In ventriculo fibræ sunt, ut cibum attrahat, retineat, & chylum in intestina propellat.

II. Ob qualem motum fibræ partibus insint?

Resp. Motus alius Naturalis, alius Vitalis, alius Animalis est. Naturalis in partibus naturalibus, vitalis in vitalibus, animalis in animalibus conspicitur. Fibræ conferunt ad motum quemvis modo actio fit publica. Habent fibras intestina, vesica utraque, ventriculus: ob motum naturalem. Habent fibras cor & arteriæ: ob motum vitalem. Habent fibras musculi: ob motum animale.

AXIO-

AXIOMATA.

I. Varietas motuum varietatem
fibrarum requirit.

Fibræ aliæ Rectæ sunt, aliæ Transversæ, aliæ Obliquæ. Rectæ, quæ secundum longitudinem feruntur, & attractioni inserviunt. Transversæ, quæ secundum latitudinem feruntur, & expulsionî inserviunt. Obliquæ, quæ medium situm obtinent, & retentiōni inserviunt. Sic venæ ob eodem motus, & rectis, & transversis, & obliquis fibris constant. Caro cordis omni fibrarum genere texta est, ob causam eandem.

II. Fibræ nunc ad motum, nunc ad
carnis custodiam faciunt.

Musculi fibras habent, non ad motum tantum, sed & ad carnis custodiam. Ut velut Stamina prima sint, quo.

quorum inania spacia infarciat caro,
oppletura rimas. Sanguis enim ad fi-
lamenta illa defertur, & in carnem
mutatur, spaciaq; vacua replet.

Caput VI.

De

Venis.

PRÆCEPTUM.

Vene sunt partes similes, frigi-
dæ, siccæ, & cavæ, ab animâ e-
lentâ seminis parte formatae, cõ-
tinendo, deducendo, & coquendo
sanguini crassiori, dicatae.

QVÆSTIONES.

I. Quodnam venarum sit prin-
cipium?

Resp. Distingaendum inter prin-
cipiũ verò & generationis, & cõ-
radicationis, & dispensatio-
nis.

nis. *γενέσθαι* est, è quo tanquam materia quidpiam oritur aut generatur. *Πρωτεύς*, in quo radice, à quibus truncus & rami prodeunt, apparent. *Διολύθαι*, à quo facultas & communis aliqua materia emanat. Venarum principium generationis, nec cor, nec hepar, nec cerebrum, nec ulla pars integralis est. Principium radicacionis verò hepar est. Radices enim & venæ cavæ & portæ in hepatis substantia cernimus. Principium dispensacionis itidem hepar est. Ex hepate enim sanguis partium alimentum per venas tanquam canales in corpus distribuitur.

II. *Quid præstent venæ in hepate?*

Resp! Triplex illis assignari solet actio. Prima est, *ἀνάδοσις* seu chyli ad hepar translatio Secunda, *ἀπὸ ἀνάδοσις* seu chyli preparatio & in sanguinem mutatio. Tertia, *διὰδοσις* seu sanguinis

nis ab hepate in mesenterium & intestina distributio. Sed sententia de primo & secundo venarum mesaraicarum usu, solam autoritatem, pro se habet, non sensum, non rationem. Nemo hominum vidit venas mesaricas chylo repletas. Et inconueniens valdè est, per viam eandem naturam ordinariè chylum ab intestinis ad hepar, & sanguinem ab hepate ad intestina deferre.

III, Quid præsent vena lactea?

Resp. Præter vasa tria, omnibus nota, novum genus omnibus ignotum, inuenit Gaspar Asellius. Anno enim millesimo, sexcentesimo, vigesimo secundo, in cane benè pasto, què vivum secundum sumsit, vas novum è quo liquor albus lactis instar profiliit, offendit. Idem post in pluribus canibus, felibus, porcis, equis & vaccis, deprehendit. Novum illud vas Lactes,

ctes, aus Venas Lacteas & albas nominavit. Lactes, ob succum quem continent, qui lacti similis. Venas, ob substantiam, quæ eadem prorsus cum substantiâ venarum. Officium iis tribuit, chylum ex intestinis ad hepar deferre, & aptiorem ad sanguinis naturam in hepate induendam reddere.

IV. An vim habeant efficiendi sanguinem?

Resp. Ova cum gallinis supponuntur, tertio die sanguis conspicitur, ubi nondum elaboratum hepar est. Sanguinem illum venulas effecisse statuendum. In hominibus ipsum hepar sæpè scirrho afficitur adeò, ut præstare nequeat officium. Fame & tabe perirent hi, nisi vena succurrerent, & sanguinem efficerent.

V. An venæ sentiant?

Resp. Substantia venarum per se nullum habet sensum. Rumpi enim,
uri,

uri, incidi, & laqueis premi possunt, sine sensu. Membranzæ verò, quæ venis interdum conjunguntur, præstant ut venis ipsis adscribatur sensus. Hinc in febribus sæpe circa dorsum oriuntur dolores, & ubi menses instant turgente sanguine dolent lumbi.

AXIOMATA.

I. Numerus venarum innumerus ferme est.

Homo per nutritionem conservandus, per augmentationem perficiendus, per generationem à totali interitu vindicandus est. Sed & nutritio, & augmentatio, & generatio, postulant sanguinem. Sanguis autem per venas, tanquam canales, distribuitur. Magnus itaq; venarum numerus requiritur, quæ tamen omnes in duos prægrandes ramos desinunt, quorum alter Vena Porta, alter Vena Cava dicitur.

citur. Ille è cava hepatis paret; hic,
è gibbâ provenit.

II. Magna venarum & arborum
similitudo est.

Radices sunt in arboribus, quæ hinc
inde dispersæ sugunt nutrimentum:
est in iis truncus, qui indivisus pau-
lulû procedit: ad sunt surculi & pro-
pagines, sæpe antè ramorum diffusio-
nem: deniq; rami surgunt, instar vali-
disimorum brachiorû, infinitis sur-
culis & propaginibus conspicui. I-
dem cernimus in venâ Portæ, quæ ra-
dices habet in hepate, truncus autè
ab hepate secedit, & statim de se pro-
pagines spargit. denique in ramum
Splenicum & Mesentericum dividi-
tur, qui iterum alios atq; alios proj-
ciunt surculos. Cava vena sicut major
& amplior venâ Portæ est: ita radices
plures, insigniores ramos, & magis
con-

conspicuos sarculos ac propagines
habet.

**III. Epigastricæ & Mammariæ u-
nio mammarum & uteri fa-
cit consensum.**

Mammæ foeminarum cum palpan-
tur manibus, excitant libidinem. Et
quæ mammosæ magis sunt, plerumq;
libidinosæ sunt. Causam referunt ad
venæ Epigastricæ & Mammariæ unio-
nem. Scilicet vena Cava habet duos
truncos. Ascendentem & Descenden-
tem. Ascendens inter alios sarculos
spargit Mammariam: Descendens E-
pigastricam. Hujus Epigastricæ rami
juxta umbilicum cum ramulis mam-
mariæ per anastomofin junguntur, &
celebrem illum consensum uteri &
mammarum efficiunt. Augetur hic
per ramum axillarum qui ad mam-
mas, & ramos hypogastricæ, qui ad u-
terum mittuntur. Nervos etiam con-
currere & stimulos excitare, vero si-
millimum.

IV. Venæ Lactææ quartum vasorum genus constituunt.

Eant novitatis osiores, & omne novum falsum, omne vetus verum, clamitent. Novum inventum sunt venæ lactææ: at maximè utiles ac necessariæ. Habemus nunc quatuor vasorum genera: venas, pro sanguine crasso: arterias, pro sanguine tenui: nervos pro spiritibus animalibus: & venas lactæas, pro chylo. Lubet pauca Inventoris referre verba. *Ullum argumentum rem omnem conficit: Veni, Vide, qua duo in simili re, hoc est, novo invento, sic olim Galenus iussit. Quicumq; vult operum naturæ esse contemplator, eum propriis oculis credere oportet, & aut ad nos accedere, aut cum aliquo eorum qui nobis cum versati sunt versari, aut ipsam per se diligenter exercitatio anatomicis manu obsequi.*

Caput

Caput VII.

De

Arteriis.

PRÆCEPTUM.

Arteriæ sunt partes similes,
frigidae, siccae, & cavæ, distensio-
ne & contractione præditæ, ab a-
nimâ è glutinosâ seminis parte
formatae, ac continendo & dedu-
cendo sanguini tenuiori dicatae.

QUAESTIONES.

I. *Quodnam arteriarum sit prin-
cipium?*

Resp. Arteriarum principium ge-
nerationis, nec cor, nec hepar, nec ce-
rebrum, nec alia pars integrans est.
Sicut ex semine fiunt ossa, cartilagi-
nes, fibræ, & venæ; sic etiam arteriæ.
Principium radicationis verò cor est.

In

In corde enim radix arteriæ magnæ est: à magnâ verò arteriâ reliquæ dependent. Principium dispensationis etiam cor est. E corde enim sanguis tenuis per arterias tanquam canales in corpus distribuitur.

II. *Quâ vi pulsent arteriæ?*

Resp. Pulsus arteriarum est motus, dilatatione & constrictione constans. Duas nempe partes habet, *συστολήν* contractionem & *διαστολήν* dilatationem. Fit ab animâ mediante facultate. Primas tenet anima, secundas facultas. Videt oculus, ob animam & facultatem, pulsat pariter arteria, ob animam & facultatem. In venis, in nervis, & aliis partibus, non pulsat anima, quia istæ non sunt pulsus instrumentum.

III. *An arteriæ sentiant?*

Resp. Sentiant hinc venæ, hinc ossa. Propria arteriarum substantia sensus experta est, ne vel quantitate, vel qualitate materia offensa arteriæ, per-

E petuis



petuis hominem angerent doloribꝫ.
Ob membranas verò, quibus teguntur
nonnunquam, sentiunt: quales mē-
branz cum primis pleura & peritonæ-
um sunt.

AXIOMATA.

I. Arteriæ venarum conjuges sunt.

Major dignitas arteriarum, quàm
venarum est. Hinc recondere eas
prudens voluit natura, ne lædantur
facile ab externis injuriis. Ita arteriæ
venarum conjuges factæ sunt ob hoc
confortium. Venæ cavæ conjux est,
totus arteriæ magnæ truncus. Venæ
portæ conjux, pars illa arteriæ ma-
gnæ quæ in abdomine isti conjungi-
tur.

III. Frigida arteriis inimica sunt.

Frigidus aer inspiratus mala mil-
le infert. Hinc tussis, hinc phthisis,
hinc

hinc incommoda plura. Præstat ob eandem causam dormire clauso ore, quàm aperto. Mortui sunt non pauci ob frigida potum, post motus vehementiores. Spiritus enim vitales in arteriis contenti frigore sistuntur ac torpidi redduntur.

III. Incisâ venâ sanguis etiam ex arteriis evacuat.

Senecam ita extinctum scribunt, & Lucanum, & plures alios, qui abscessis venis cum sanguine animam emisissent. Communicant enim venæ omnes, & confluunt inter se mutuo. Extrema arteriæ portæ cum venâ cavâ, & extrema cavæ cum venâ portæ coeunt. Multæ etiam in corpore venarum arteriarumq; anastomoses sunt, in liene, in renibus, in matris, & aliis partibus,

IV. Differunt venæ & arteriæ non parum.

Differunt substantiâ, colore, situ, usu, & motu. Tenuis venarum substantia est simplex, ac mollis: arteriæ verò crassæ ac duræ sunt. Venæ cæruleæ ferè apparent: arteriæ candidæ. Venæ extimas partes subeunt: arteriæ intus hærent. Venæ sanguinem crassorem veliunt: arteriæ tenuiorè. Venæ quiescunt, nullumque edunt pulsum: arteriæ perenni& conspicuo systoles ac diastoles motu agitantur.

Caput VIII.

De Nerviis.

PRÆCEPTUM.

Nervus est pars similis, frigida sicca, & cardita, è glutinosâ seminis parte ab anima producta;

CONTI-

continendo ac deducendo spiri-
tu animali dicata.

QVÆSTIONES.

I. Quodnam nervorum sit prin-
cipium?

Resp. Cerebrum nervorum princi-
pium esse, sensus monstrant. Fiden-
dum ergo huic sensuum iudicio. In-
terceptis etiam nervis, qui à cerebro
veniunt, percuti sensus ac motus. E
cerebro igitur spiritus animales in
totum corpus deferuntur. Hæc autē
principii ratio est, ut inde aliquid de-
ducatur, quasi ex fonte per canales
in singulis corporis partes. Sed ex-
clusam nō volumus spinalem medul-
lam. Hæc enim quid aliud, quàm ce-
rebrī medulla oblongata?

II. An nervi cavi sint?

Resp. Cavitas alia Sensilis, alia In-
sensilis est. Sensilem habent venæ &
arteriæ; Insensilem nervi. Hi enim

subtili corpori, spiritui nempe anima-
li, concedunt transitum. Requiritur
autem igitur cavitates aut pori, curi, cum
corpus in corpus subire nequeat.
Perspicua verò cavitare nil erat opus,
quia non sanguinem, nec aliam cras-
sam materiam, sed spiritum tantum
vehunt.

*III. An nervorum alii sensum, alii
motum conferant?*

Resp. Id qui putant, contra sen-
sum & rationem agunt. Unum eun-
demque nervum utrumque præstare cer-
nimus. Sextum nervorum par ventri-
culo, lieni, & renibus sensum dat, la-
ryngis musculis & sensum & motum.
Secundum par, quod oculorum mus-
culis inferitur, & sensum his tribuit,
& motum. Et sanè, unus specie est
animalis spiritus, qui per nervos de-
fertur. Easdem igitur habes vires,
easdem operationes. Pro varietate
autem partium, quibus communica-

tur,

tur, nunc utrumq; nunc alterutrum agit. Cum etiam plures spiritus animales ad modum requirantur, quàm ad sensum, per accidens nonnunquã perit motus, manente sensu.

AXIOMATA.

I. Nervi naturam principii sui referunt.

Triplex in nervis substantia est, media medullaris, & duæ exteriores membranæ, quarum altera mediate, altera immediatè, medullarem illam substantiam continet. Ita nervi, quã partim ex cerebro, partim ex spinali medulla oriuntur principiorum suorum naturam referunt. Medullaris enim substantia cerebro respondet membranæ illæ substantiæ, piæ matri & duræ matri.

II. Nervi à cerebello non oriuntur.

E 4

Cere

Cerebrum cerebello contradistin-
 guitur. Cerebrum partem antero-
 rem notat, quæ triplo major cerebel-
 lo est, indeq; ob magnitudinem toti-
 us nomen habet. Cerebellum poste-
 rior pars est, cerebro valde appendix
 adiacens, durioris ac crassioris sub-
 stantia. Nervi à cerebello non oriun-
 tur, sed à cerebro. Sunt enim facultatis
 animalis atque spirituum satore
 spiritus autem perfectionem suam in
 cerebro consequuntur. Debit igitur
 nervorum principium prope spirituum
 locari officinam.

III. Nervi à corde non oriuntur.

Ab illa parte deducendi sunt ner-
 vi, in qua spiritus animales perficiun-
 tur. Fit perfectio hæc nõ in corde, sed
 in cerebro. Cerebro affecto perit sen-
 sus: at corde affecto nec sensus tollitur,
 nec motus. Galenus ait: *Si cor ruda-*
ueris atq; deprefferis, nec voce, nec respi-
rabis.

ratione, nec ullâ prorsus voluntariâ actione impediri cernes, animal, imo libet tibi cor totum eximere illas voluntarias actionibus: id quod nonnunquam contigit in sacrificiis, in quibus animalia cernuntur corde in aris imposto non respirare tantum aut clamare fortiter, sed etiam fugere, quousq; profusione sanguinis extinguantur.

Caput IX.

De

Membranis.

PRÆCEPTUM.

Membrana est pars similis, frigida, sicca, alba, lata & tenuis, e lentâ seminis parte ab animâ producta ut tactui inserviat, partesque subjectas regendo custodiat.

QVÆSTIONES.

I. An membrana sit organum tactus?

L 5

R. P.

Resp. Distinguendum inter organum Adæquatum & Primarium. Membrana organum adæquatum est, quia ubicunq; in toto corpore qualitatatum tactilium perceptio fit, membrana adest, quâ mediâte anima qualitates illas percipit. Cutis verò organum primarium est, eaq; cum primis, quæ in volâ manus datur. Unde Galenus: Neque decentius, neque promptius fuit, alio organo corporis dignoscere, quàm manu, & ipsius manus non omnibus, sed internis partibus, quibus est etiam apprehensorium organum.

II. An membrana à frigore fiat?

Resp. Formationis opus frigori concedendum non est, sed animæ. Anima partes omnes efficit, majores, minores, ac medias. Neque etiam tale in utero frigus datur, à quo formari possint membranæ. Non pultem habemus, cui ambiens aer induat pelliculam.

AXIO.

AXIOMATA.

I. Primum naturæ opus mem-
brana est.

Semina cum in utero mista sunt, fe-
rias non agit natura, sed sine morâ
agreditur sanctum opus. Primum
autem format membranas foetû, quæ
sunt Chorion & Amnios. Hæ interio-
rem ac nobiliorem seminis partem
instar corticis concludunt. His quasi
sepimentis, inquit Laurentius, nobi-
lior seminis pars obvallatur, & inter-
ni concluduntur spiritus, qui ob te-
nuitatem facillè vanescerent.

II. Partem à parte discernunt
membrana.

Totum corpus cutim habet, quâ te-
gitur. Regiones etiã n discernan-
tur membranis, pleurâ, peritonæo, &
meningibus. Quin & singulæ partes

fuis investitæ sunt tunicis. Prostant enim membrana linguæ, pulmonum, cordis, lienis, renum, musculorum singulorum & omnium denique parvium.

Caput X.

De

Tendinibus.

PRÆCEPTUM.

Tendo est pars similis, frigida, sicca & dura, è seminis lentâ parte ab animâ producta, ut motui spontaneo inserviat.

QUESTIONES.

I. An corporis robur extensivum sit?

Resp. Sanè quibus animalibus molliores sunt tendines, ea minus valida sunt: quibus duriores, fortiora acrobustio-

bulliora. Inter homines etiam viri præstant robore mulieribus: ad ult. infantibus. Stando dormiunt gallinæ Indicae, quia crura habent tendinea. Hinc & in nullis ea versantur æstimo, cum careant succo.

II. Ad qualem motum requiritur tendo?

Resp. Non ad Naturalem, sed Voluntarium. Sine tendine movetur cor, pulmo, & arteriæ. Pedes autem, manus, & brachia, tendinum opere moventur. Sectis iis, perit motus: at incisa carne secundum longitudinē, motus non tollitur.

AXIOMATA.

I. Tendo pars musculi est.

Duas partes habent musculi, carnem & tendinem. Tendo est pars sui generis per totum musculi corpus secundum longitudinem diffusa. Nulla musculi pars est, in quâ tendo non

no SYNOPSIS ANTHRO-

reperiatur : pars tamen datur, in qua
non est caro:

II. Tendo nunc unitus, nunc
divisus est.

Tendinea substantia carne interdum stipatur, nonnunquam verò carne caret. Hinc tendinem dicimus nunc Divisum, nunc Unitum. Ubi valida membrorum cōtractio requiritur, Unitus est. Ubi tractio minus fortis, Divisus. Juxta illud: Vis unite fortior dispersa.

Caput XI.

De
Carne.

PRÆCEPTUM.

Caro est pars similis, calida &
humida, rubra & succiplena, ab
anima è sanguine producta, ut

COE-

corpus ornet & contra frigus ali-
aque foris occurrentia tucatur.

QVAESTIONES.

I. Quoruplex caro sit?

Resp. Quadruplex, musculorum,
viscerum, glandularum, & peculiaris.
Musculorum est pars rubicunda, &
mollis, divisos tendines infarciens.
Viscerum est, propria cuiusq; visceris
substantia, ut hepatis, lienis, renum,
pulmonum. Glandularum est, rara
illa substantia, quæ humores super-
fluos imbibit, quales glandulas in
faucibus, axillis, brachiis, cruribus,
alibi habemus. Peculiaris est, quæ
partium fibris adnascitur, ut in ven-
triculo, intestinis, ossibus, & aliis.

II. An vulnera musculosa carnis
auferant motum?

Resp. Caro non est motus causa,
sed tendo. Carne ergo læsâ, non lædi-
tur

tur motus. Tendo autem ubi secatur,
& quidem transtversim, perit motus.

AXIOMATA.

I. Caro secundum formationis
opus est.

Quatuor formationis sunt tempo-
ra. Primum *ἡ πρώτη* dat, ubi facta con-
ceptione prima septimana ut nihil
præter feminam coagulata, & crustula
obducta, censetur. Secundum *ἡ δεύτερη*
refert; ubi secunda septimana rudis
quædam partium efformatio, & mo-
les quasi carnea conspicua est. Ter-
tium *ἡ τρίτη* exhibet, ubi septimanis
sequentibus partes manifestius con-
spiciuntur. Quartum offert *ἡ τέταρτη*
ubi ultimò partes omnes perfectè dis-
cretæ & elaboratæ sunt.

II. Caro corpus ornat.

Necessaria corpori nostro caro est,
magnamque ejus partem constituit.
Neces-

Necessitati autem natura pulchritudinem conjunxit, ut ornamentum etiam præstet eare corpori. Cum palior in ore cum macies in corpore toto, quid nisi mortis imago est? Cum in cædio febrili macerata partes sunt, non tam hominis, quam resiccati cadaveris, speciem cernis.

Caput XII.

De Ligamentis.

PRÆCEPTUM.

Ligamentum est pars similis, frigida & siccæ, ab anima & seminis portione leatâ ad colligandos articulos & suspendendas partes productâ.

QUESTIONES.

1. An ligamenta sentiant?

Resp:

Resp. Sentiunt eo modo, quo ossa, quo cartilagine, quo venæ. Rectè Laurentius: Ut inter ossa dentes sentiunt, & inter cartilagine ex quæ palpebras constituunt sensu prædita sunt; ita in ligamentorum genere dantur quædam tactus sensu prædita: ejusmodi sunt ligamenta duo penem constituenta, & linguæ frenum

II. An ligamenta alligent etiam ossa quæ moventur.

Resp. Etiam moveri queunt ligata sed elabi nequeunt. Ligamenta & immobilia ossa connectunt, & ea quæ moventur. Habemus vincula, quæ femur cum coxendice, idem cum tibia & fibula, tibiā cum fibula, tibiā fibulamq; cum talo, talum cum ossibus tarsi, pedii, ac digitorum pedis conjungunt.

AXIO-

AXIOMATA.

I. Ligamenta mediæ sunt nature
inter cartilaginem & mem-
branam.

Cartilagine molliora, membrana
duriora sunt. Molliora, ut musculis
ossa moventibus obsequantur. Du-
riora, ne in vehementioribus moti-
bus disrumpantur. Quædam tamen
ad cartilaginis, quædam ad membra-
næ naturam accedunt propiàs. Unde
illa Cartilaginea dicuntur, hæc Mē-
branca.

II. Ligamenta per uniuersum
corpus dispersa sunt.

Quædam caput cum vertebris, cō-
nectunt; alia ossis hyoidis, linguæ,
maxillæ superioris & inferioris sunt.
Vertebras quædam inter se conjun-
gunt, quædam costas cum vertebris
nectunt; alia easdem cum sternō jun-
gunt;

gunt; alia os ilium cum sacro, alia os
sacrum cum coxendice, alia ofia pu-
bis uniant. Quaedam uterum sus-
pendunt, quaedam hepar, quaedam
vesicam, ne decidant.

Caput XIII.

De
Cuticula.

PRÆCEPTUM.

Cuticula est pars similis, fri-
gida & sicca, solida est exanguis,
ab animâ e subtiliori seminis
parte producta, ut cutim defen-
dat, ta&uli inserviat, & ne humores
exudet prohibeat.

QVÆSTIONES.

I. An cuticula sentiat?

Resp. Segregari potest cuticula a
cutis. Quod in pultalis aquâ plenis
esthi-

cernimus, ubi avellitur & rumpitur.
Pungi ibi solet & secari, sine dolore.
Experiuntur id scabiosi, quib9 omne
studium in pungendis & rumpendis
illis pustulis, ut exeat humor noxius.

II. *Ancuticula vivat?*

Resp. Vivit sane, quia pars integra-
lis corporis animati est. Nutritur
etiam ac augetur, ut tanta fiat, quan-
tum corpus est. Materia nutritionis
sanguis est, in cute subjecta præsentis-
simus.

III. *Quomodo cuticula gene-
retur?*

Resp. Non eo modo quo crustula
pultis, aut membranula in sanguine
concreto. Non sumus tumultuarium
opus, ut casu forsan, aut per accidens
instar pultis acceperim9 pelliculam.
Anima quæ omnium partium forma-
trix est, etiam cuticulam effecit.

AXIO:

AXIOMATA.

I. Cuticula dolores avertit.

Cutis accerrimi sensus est, unde tegmine hoc eguit, quo averterentur dolores. Cum separatur cuticula igne aut fervente aquâ, & manu vel linteo tangitur cutis, acerbissimus excitatur dolor. Hinc avertit cuticula, ne divinum animal perpetuis crucietur doloribus.

II. Cuticula humorum fluxum prohibet.

Solidior cuticula cute est, hinc præstat facile ne effluant humores. In intertrigine humor perpetuò non sine dolore exit. Separata enim atque avulsa cuticula est. Accidit tunc id, quod aliàs pomis, pyris, prunis, ac cerasis. Cuticulâ enim detracta humor diffuit, & putredo sequitur.

III.

III, Non eadem ubique cuticulę
consistentia est.

Subtilissima cutis est in vola ma-
nus, crassissima in capite. Pueris te-
nerrima est, adultis crassior. Cras-
sissima rusticis, non tantum in capite
ac pedibus, sed in ipsa quoque vola
manus est. Ita pro cujusvis condi-
tione alia atque alia existit cuticula,

Caput XIV,

De
Cute.

PRÆCEPTUM.

Cutis est pars similis, tem-
perata & crassa, ab animâ è semi-
ne & sanguine producta, ut præ-
cipuum tactus organum sit, & par-
tium subjectarum tegumentum,
~~maimacium~~ ac ornamentum

24E.

QUESTIONES. III

I. Vnde cutis color?

Resp. Cutis alba est per se, ex acci-
dente nunc nigra, nunc livida, nunc
rubra. Qualis enim sanguis, talis co-
lor cutis. Hinc sanguinei rubicundi,
Cholerici subflavi, Phlegmatici pal-
lidi, Melancholici nigri aut fusci sunt.

II. Vnde cutis crassities.

Resp. E membranis & carne pro-
pria constat cutis. Hinc crassa admo-
dum, & quidem sextuplo crassior cu-
ticulâ est. Pro figmento habendum,
quod ajunt communiter, quendam
Persarum Regem eâ ad fenestras par-
randas fuisse usum. Major hinc crassi-
ties est, quàm ut perspicua fieri possit,

III. Quanam cutis genera.

110 fit?

Resp. Cutis unâ cum partibus ex-
teris ab animâ formatur. Formatur
autem

antea è semine & sanguine simul mi-
stis. Habet semen pro generationis
materiâ, cum membrana constet.
Habet sanguinem etiam, cum veluti
sanguine prædita membrana sit. Fit
autem non à calore, non à frigore, sed
ab animâ corpus suum disponente ac
perficiente,

AXIOMATA.

I. Cutis præcipuum tactus orga-
num est.

Optimè cutis de omnium extrin-
secus occurrentium frigiditate & cali-
ditate, humiditate & siccitate, duritie
& mollitie, asperitate & laevitate, ju-
dicat. Quis vel ignem fugeret, aut
contra frigoris inclementiam muni-
ret corpus, nisi cutis hostem adesse
sentiret ac defensionem necessariam
urgeret?

II. Cutis ornamentum cor-
poris est.

F

Hæc

Hæc ea vestis pretiosa, & aureum quasi vellus. Ita in externis etiam divinum quid relucet, ut vel primo obtutu capiamus oblectamenta. Unde fœminis ne gemmarum quidē splendor tantam conciliat gratiam, quantum decora cutis.

III. Alia terra, alia cutis.

Calida loca qui incolunt, raram habent cutim; densam, qui frigida. Hinc è frigidiorib9 plagis in calidiores qui migrant, febribus plerumque corripuntur. Ob densitatem enim cutis permeare nequeunt effluvia calida, quemadmodum in aliis locorū istorum inhaeratoribus. Et qui è calidioribus locis ad frigidiora se conferunt, vix pellibus ac vestimentis arcere queunt frigus. Ob raritatem enim cutis frigiditas facilè admittitur, partesque penitissimas petit.

IV. Cutis porosa est.

Et

Et respirationem, & transpirationem homo habet. Illa manifesta requirit foramina; hæc occulta. Occulta pori sunt, per quos multa in corpus ingrediuntur, plura egrediuntur. A quis qui se mergunt, cordis habent angustias. Fuligines enim exire nequeunt per poros corporis. Adest quidem respiratio, sed deest transpiratio.

Caput XV.

De
Pinguedine.

P R Æ C E P T U M.

Pinguedo est pars similis, calida & humida, ab animâ ex sanguine oleoso producta, ad partium subjectarum tutelam, humectationem, & agitationem.

F 3 QVAE

 QVAESTIONES.

I. *An pinguedo vera corporis pars sit?*

Resp. Si pars corporis est, quicquid ad integritatem ejus requiritur, pro parte habenda venit pinguedo. Facit enim ad integritatem totius, non minus quàm caro. Sed & habenda pro parte, si pars est corpus toti cohærens, communemq; cum eo vitam participans, ad illius actionem aut usum constructum. Corpus enim est, cohæret cum toto, habet vitam communem, quia nutritionem & augmentationem habet, neque destituitur usu.

II. *An pinguedo sit pars spermatica, an carnosâ?*

Resp. Nulla est divisio partis in Spermaticam & Carnosam. Sanguineæ partes alias Spermaticis contra distinguuntur. Et sic pinguedo est pars sanguinea, quia è sanguine
pro;

producitur. E butyrofa sanguinis parte fit. unde non est rubicunda: sed quædam alba, quædam subflava, quædam sabrubra.

III. An pinguedo à frigore fiat?

Resp. A membranarum frigore per modum congelationis pinguedinem fieri dicunt. Sed anima principalis formationis causa est, non calor, non frigus. Neq; datur ibi frigus, ubi frequentissimè formatur pinguedo. Calidissimū est cor, & pinguedine multa circumfusum. Non itaque frigus illam fingit pinguedinem. Si quid facit frigiditas, concurrat ad pinguedinis generationem permissivè, non effectivè.

AXIOMATA.

I. Pinguiora animalia parum præbent lactis.

Non enim in lac, sed in pinguedinem mutant sanguinam. Unū princi-

F 3

cipi-

cipium lactis & pinguedinis est. Quod igitur pinguedini traditur, lacti subtrahitur. Eandem ob causam infœcundi sunt obesi, sive mares, sive fœnæ. Non enim in semen, sed in pinguedinem mutatur sanguis.

II. Pinguedo tuetur partes subjectas.

Est instar vestis, quæ tempore hyberno arceat frigus, & æstivo calorem. Cum enim oleosa sit, prohibet æstate ingressum atomis igneis. Facit oleum, ne externa ingrediantur corpora. Unde seplasiarii dum præservare student ab aere succos, oleum superfundunt. Et cum calida sit pinguedo, frigori etiam prohibet aditum, partesque subjectas conservat.



Caput

Caput XVI.

De
Pilis.

PRAECEPTUM.

Pili sunt partes similes, calidæ & siccæ, ab animâ sanguine ignobiliore productæ, ad corporis ornamentum, tegumentum, & adjumentum.

QVAESTIONES.

I. Unde pili?

Resp. Efficiens pilorum animâ est; materia sanguis ignobilior. Anima pilos quosdam auget perpetuò, alios in debitâ quantitate statim format, Anima aliis pilis hunc, aliis alium locum concedit. Si calor & vapor id præstarent, uti præstare dicuntur, cur non in naso & fronte pilos haberent viri? Cur foemina barbâ non alerent?

F 4

Cur

Cur in aliis corporis partibus pili au-
gerentur perpetuò, in aliis certam
servarent magnitudinem?

*II. An pili vera corporis par-
tes sint?*

Resp. Etiam pili ad integritatem
corporis requiruntur: vera itaque
partes sunt. Calvi quid aliud sunt,
quàm aves sine pennis? Quod enim
depennatio volucrum, id depilatio
hominum. Pili etiam communem cū
soto vitam habent. Nutriuntur enim
& augentur. In radicibus humidam
aliquam substantiam cernimus, quæ
propriam ipsorum nutrimentam est.
Et augentur quidam per totam vitã,
maximè secundum longitudinem.

III. Vnde Canities?

Resp. E sanguinis vitio. Vitium hoc
nunc ob senium, nunc ob affectus in-
ducitur. Hinc subito nonnunquam
homines unã nocte canitie fuere or-
nati aut deformati. Scaliger ait: Hi-
storia

istoria nostræ tempestatis est, sub Frâ-
cisco Gonzaga Mantuæ principe. Is
affinem suum suspectum conjuratio-
nis cum in turri portæ Cæsareæ ad
questionem aut supplicium scrivari
jussisset, nunciatum est manè totum
repentè canum factum. Quod quasi
prodigium flexit principis animum.
Qui ei propterea & veniæ & vitæ fecit
gratiam.

AXIOMATA.

I. Pili ornamentum corpo-
ris sunt.

Quantum calvities deformitatis,
tantum coma majestatis affert. Coma
reverenda est in senibus, veneranda
in sacerdotibus, decora in juvenibus,
suavis in puellis. In medio tamen
consistendum, neque negotium iners
agendum. Multis enim horæ multæ
ad tonsorem transmittuntur, qui ma-
lunt Rempublicam turbari, quàm co-

mam suam, qui de capillis singulis in
consilium eunt, ne quid extra ordi-
nem jaceat.

II. Pili excrementa non sunt.

Non ornant corpus excrementa,
non id reddunt præstantius. Neque
etiam sanguine nutriuntur, & ex re-
siduo augentur. Rectè Scaliger. Pili
ipsi non penitus excrementa sunt. Ic-
circò è contrario natura instituit in
aëis atq; in arboribus. Hyeme namq;
cadunt frondes: at animalia novis,
densioribus, prolixioribus vestiuntur
pilis. Quod sit argumento, compara-
tos esse ad corporis præsidium.

III. Pili proximè accedunt ad pennas, ungues, vellera, cor- nua, & squamas.

Partes quidem corporis pili sunt,
sed ignobilissimæ: sicut pennæ, un-
gues,

gues, vellera, cornua, & squamæ. Ignobiliori sanguine nutriuntur pili: sicut pennæ, ungues, vellera, cornua, & squamæ. Absq; dolore secantur pili: sicut pennæ, ungues, vellera, cornua, & squamæ. Abjiciuntur ac deponuntur pili: sicut pennæ, ungues, vellera, cornua, & squamæ. Renascuntur pili, sicut pennæ, ungues, vellera, cornua & squamæ.

Caput XVII.

De
Unguibus.

PRÆCEPTUM.

Ungues sunt partes similes, calidæ & siccæ, duræ, flexiles & pellucidæ, ab animâ è sanguine ignobiliori apprehensionis & ambulationis gratiâ factæ.

F 6

QVAE

 QVAESTIONES.

I. Unde ungues?

Resp. Etiam unguium efficiens anima est, materia sanguis ignobilior. Anima est, quae partes has format, easque non omnibus membris, sed manuum tantum ac pedum extremis ponit. Et tam firmiter quidem suncute ac carne conjungit, ut non pars alia majori dolore divellatur. Materia est sanguis ignobilior, cum praestantior praestantioribus dicatus sit partibus.

II. An ungues vera corporis partes sint?

Resp. Idem de unguibus tenendum, quod de pilis. Unguibus destituti, integritatem corporis non habent. Et habent vitam ungues. Neriuntur enim & augentur. Sanguine surgunt, pro cuius varietate nunc albicant, nunc nigricant, nunc pallent, nunc

nunc alio colore tinguntur. Omnis generis vasa in radices porrigantur, & non modo vitam, sed & sensum cōmunicant.

AXIOMATA.

I. Ungues ad benè esse dantur.

Non de necessariis tantum, sed & de utilibus cogitavit naturæ Auctor. Poterant apprehendere manus sine unguibus: at cum unguibus apprehendunt meliùs. Poterant pedes ambulare absq; duritie unguium: at securiùs cum unguibus & moventur, & terræ insistant. Facti itaq; ungues sunt, propter τὸ ἐν, propter id quod melius est.

II. Ungues excrementa non sunt.

Artificiosa unguium formatio è numero excrementorum eos eximit. Connectuntur etiam simo ligamento

F 7.

cuti

cuti & carni, ne vacillent, nedum ut expellantur. Præterea vitam habent, & nutriuntur ac augentur. Repunt venulæ sub istis ad summa usq; digitorum. Vehunt itaque sanguinem pro nutritione & augmentatione.

III. Ungues non format calor ex excremento.

In aliis etiam corporis partibus calor ille & excrementum illud sunt. At non ibi dantur unguis, sicut in manuum pedumque extremis. Neque novit calor unguium rationem, magnitudinem ac figuram. Ignorat usus, quos præstant unguis manuum ac pedum actionibus. Rectè Scaliger: Non ab accidente solo, primùm quia nullum accidens agit, nisi per vim suæ substantiæ. Deinde, quia nullum accidens cognoscit.

PARS

PARS SECUNDA.

De
PARTIBUS DISSIMILARIBUS.

Caput I.

De
Partibus Dissimilaribus
in genere.

PRAECEPTA.

- I. Partes Dissimilares sunt, quarum particulae omnes diversae naturae & nominis inter se & cum toto sunt.
- II. Dividuntur in Ventres & Artus.

QVAESTIONES.

- I. Quanam compositio partem faciat Dissimilarem?

Resp:

Resp. Compositio ex partibus similaribus. Digitus ex ossibus, cartilaginibus, venis, arteriis, nervis, carne, cute & cuticula, constat. Hinc pars dissimilans est, ob illam ipsam compositionem. Nervus è prædictis partibus non constat, unde pars dissimilans non est. Succum quidem habet, sed hic alterius generis est, non pars similans, non pars solida.

II. An partes Dissimilares nullam edant actionem?

Resp. Contra sensum & rationem hoc est. Videt oculus, manus apprehendit, pes progreditur. Habent itaque partes hæ actiones suas, quas dicimus organicas. Et si similes agunt, multò magis dissimilares. Hæ enim perfectiores illis sunt.

AXIOMATA.

I. E similaribus partibus fiunt dissimilares.

Mirum

Mirum est è finitis literis in infinitatem abire orationes. Mirum, è voce unâ sexcentas, aut plures nonnunquam, effecisse fecunda ingenia. Sed nec illud admiratione indignum, quod è paucissimis partibus similibus, tam uberem partium dissimilari-um formet copiam natura.

**II. Non una in partibus dissimilari-
ribus est diversitas.**

Duplex datur diversitas; altera naturæ, altera nominis est. Non habent eandem inter se naturam, nec idem nomen. Non etiam cum toto idem nomen habent, neque eandem naturam. Non quælibet pars oculi oculus est; nec quævis manus portio manus. Neq; ejusdem in manu naturæ sunt ossa cum venis, venæ cum arteriis, nervi cum musculis.

Caput

Caput II.

De

Virtutibus in genere.

PRAECEPTA.

I. Venter est pars dissimularis maxima cavitatem habens insignem, in quâ viscus aliquod primarium reconditum est.

II, Dividitur in Supremum, Medium, & Infimum.

QVAESTIONES.

I. Cur tres faciamus ventres, nec plures, nec pauciores?

Resp. Venter notat insignem cavitatem, in qua viscus principale continetur. Talia viscera non nisi tria sunt, cerebrum, cor, & hepar. Tres igitur

igitur sunt ventres, nec plures, nec pauciores.

II. An multa esse possint viscera in ventre uno?

Resp. Distingvendum inter principalia, & minùs principalia. Multa sæpè viscera in yētre uno sunt: in abdomine intestina, ventriculus, renes, liēn, hepar, & alia. Sed non nisi unū primarium in uno ventre est. In abdomine, hepar: in thorace, cor; in capite, cerebrum.

AXIOMATA.

I. Organorum quatuor sunt ordines.

Primus organa habet, quæ ex solis similaribus constant, ut sunt musculi. Secundus, quæ ex primis organis coagmentantur, ut sunt digiti. Tertius, quæ ex secundis, ut manus. Quartus quæ ex tertiis, ut brachium. Ad quartum

tum hunc ordinem etiam ventres referendi sunt.

**II. Ventrem non quavis facit
cavitas.**

Venter nunc in latiori, nunc in strictiori sensu sumitur. In latiori quamvis cavitationem notat, seu magna, seu parva sit. Sicut cum de ventriculis cordis ac cerebri loquimur, In strictiori maximam cavitationem significat, in qua principale viscus continetur. Atque in hoc sensu presentis est considerationis.

Caput II.

De

Ventre Supremo.

PRÆCEPTA.

I. Venter supremus est, in quo cerebrum cum reliquis partibus animalibus suum habet situm.

II.

II. Dicitur Caput, quod à vertice usq; ad primam collivertebram se extendit.

III. Dividitur in partes Externas & Internas.

QVAESTIONES.

I. *Cur caput in editissimo loco sit?*

Resp. Non propter solos oculos, sed etiam propter aures, nares, aliaq; organa. Omnia enim hæc editissimum postulant locum. Aquilæ prædam in toto confinio lustraturæ, in montes & præcipitia se conferunt. Bellatores in speculis & turribus collocati, hostium machinamenta speculantur. E suggesto verba faciunt pastores, è cathedrâ lectores. Vultures ascendentes odores percipiunt melius, descendentes ægrius pisces.

II. *Quæ*

II. Quenam capitis magnitudo sit legitima?

Resp. Quæ cæteris corporis partibus respondet. Corpori magno magnum convenit caput: parvo, parvum: mediocri, mediocre. Ut tanta ubique spirituum generetur copia, quanta satis est. Si verò corpus magnum sit, caput parvum, malum est indicium. Tales temerarii ac præcipites sunt, suasque res inconsideratè agunt. Si corpus parvum fit, & caput magnum, itidem malum est indicium. Tales stolidi sunt, ac indociles.

III. Quenam capitis figura sit legitima?

Resp. Rotunda, sed quadantenus oblonga, & ad latera compressa. Cùm verò caput aut rotundum exquisitè est, aut acuminatum, aut latum nimis, vitio non caret. Tales garruli, fraudulentè, impudentes & imprudentes

dentes censentur. Homerus de Ther-
site turpissimo homine id testatur.

*quo non deformior alter
Venerat ad Trojam, linguaq; protervior
alter.*

AXIOMATA.

I. Venter supremus facultatis a-
nimalis sedes est.

Hic partes animales, cerebrum,
nervi, aures, oculi, nares, & aliæ ha-
bitant. Hic actiones animales, visio,
auditio, olfactio, & aliæ, exercentur.
Hic spiritus animales, sensus mo-
tusque instrumenta, elaborantur. Et
cum intelligentem oporteat specula-
ri phantasmata, hic etiam facultas
intelligens velut in regiâ suâ locavit
sedem.

II. Capitis maxima digni-
tas est.

Præstantior facultas vitalis natu-
rali est, præstantior animalis vitali.
Hinc

Hinc maxima capitis dignitas. Hinc altissimum accepit locum, qui gubernatoris, qui regis est. Inde sensuū, inde actionum animalium origo. Omnes aliæ partes submitteñdæ capiti à prima vertebra ad imos usq; pedes.

Caput VI.

De

Capitis partibus Externis,

PRÆCEPTA.

- I. Caput in partem Capilatam & Glabram dividitur.
- II. Capilata Calvaria & Craniū dicitur, & capillis tegitur.
- III. Glabra Faciem & Aures habet.
- IV. Facies fronte, naso, oculis, genis, labiis, ore & mento constat.
- V. Aures pinnam & lobum habent.

QVAE.

QVÆSTIONES.

I. Unde facierum diversitas?

Resp. Etot millibus hominum ne duos quidem cernere licet, facie per omnia simili. Ipsi etiam consanguinei, ipsi germani fratres, ipsi gemelli, ut moribus, sic facie, immensum sæpè variant. Alia nempè anima aliud fingit pingitque corpus. Et in facie, cum primis vires suas ostendit natura mater prudens.

II. Cur facies frigus ferat præ membris reliquis?

Resp. Nocte gelida teguntur artus, facies sine tegmine prostat, & frigoris vim sustinet. Omnia teguntur hyeme, facie exceptâ, quæ nuda aeri frigido exponitur, nec admodum afficitur. Causa ad consuetudinem refertur, cujus ubique vis maxima. Nihil pecuniâ sordidius, quæ per omnium manus transit, à quâ tamè nemo abhorret. Multis casei foetidi & ex putredi

G

treddi

tredine vermibus scatentes res exquisitissimæ ad epulandum sunt, ob consuetudinem. Cochleis & ranis delectantur quidam, ex consuetudine. Consuetudo facit, ut res pulchræ & turpes judicentur.

III. Cur barba facta?

Resp. Ut virilitatis sit indicium. Quocirca, inquit Platerus, eo tempore, cum vir esse incipit, hoc est, ad generationem idoneus, ut pili circa pudenda, sic & circa mentum aliis citius, aliis tardius erumpunt. Clemens Alexandrinus ait: Barba est viri signum, per quod vir apparet. Est enim Evantiquius, & signum melioris naturæ. In eo violando, quod virilis naturæ signum est, contra legem facere impium est.

AXIOMATA.

I. Frons præstantissima faciei pars est.

Hæc

Hæc gratiam dat faciei : hæc cum lætatur exporrecta est, cum irascimur nubila fit. Mœrentis ac gaudentis, speculantis ac irascentis, manifesta dat indicia. Aperta itaque fit, & non pilis tecta. Neque enim ad capillatam referenda est partem, sed ad glabram.

H. Pupilla preciosissima oculi pars est.

Nomen pupilla diversis diversa significat. Aliis humorem crystallinum, aliis nigricantem orbiculum, aliis foramen uveæ notat. Quicquid sit, præstantissima oculi pars est. Deus ipse dilectionem suam cum exprimit, singulos è fidelibus huic parti comparat. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.

III. Partes capitis commendat usus, de prædicat decor.

In omni parte observanda duo: at
quàm maximè in capitis partibus. U-
sus nempè & decor. Naturæ scopus
primarius actio est: secundarius, pul-
chritudo. In faciei partibus mirificè
solicita natura est, & de usu, & de pul-
chritudine. Habent usum oculi, genæ
frons, & partes cunctorum. Sed habent
etiam pulchritudinem tantam, ut
difficile sit verbis eam explicare ex-
quisitis.

Caput V.

De

Capitis Partibus Internis,

PRAECEPTA.

- I. Internæ Capitis partes, vel Cō-
tinentes sunt, vel Contentæ.
- II. Continentes, Pericranium,
Cranium, & duæ Meninges.
- III.

III. Contentæ, Cerebrum, Oculi, Aures, Nares, lingua, palatum, uvula, fauces, tonsillæ, & musculi.

QVÆSTIONES.

I. *An cerebrum frigidum sit?*

Resp. Propria cerebri substantia frigida est: ob sanguinem verò influentem & spiritus vitales calidum fit cerebrum. Extrinsecus autem hæc calida corpora adveniunt, quæ partem per se frigidam calefaciunt. Calefactum ergò potius est, quàm calidum.

II. *An cerebrum moveatur?*

Resp. Propria cerebri substantia arteriis contradistinguenda. Illa ad motum inepta est, cum efficiente, fine, & instrumentis motus careat. Hæc moventur per systolem & diastolem. Hoffmannus ait: Qui apparet in cerebro

bro motus, non est ipsius cerebri, sed arteriarum.

III. An cerebrum sentiat?

Resp. Sentit sicut ossa, sicut viscera aliqua. Substantia cerebri cum vulneratur, cum premitur, cum pars aliqua tollitur, dolor non percipitur. Membranz verò cum afficiuntur, sentitur dolor.

IV. An spiritus animales in cerebri ventriculis, an in corpore fiant?

Resp. Ventriculi non generationi spirituum, sed receptioni excrementorum destinati sunt. Ipsa verò cerebri substantia spiritus vitales in animales convertit. Substantia cerebri inquit Spigelius, sui generis est ac peculiaris, quod cum præcipuum generationis spirituum organum ipsa cerebri sit substantia, & verò hæc ab omnibus aliis diversa, hanc nulli communem esse decuerit.

AXIO-

AXIOMATA.

I. Natura cerebrum munivit vallo potentissimo.

Perpetua lex est, Reconde opes. Cerebrum primùm tenui, deinde dura conclusit meninge natura. Porro cranio durissimo vallavit, cum primis in sincipite & occipite. Deniq; pericranio, cute densissima & capillis crassis munivit. Ut contra tot externas injurias tutaretur partem præstantissimam,

II. Cerebrum non unius planæ substantiæ est.

Habet partes tres, cerebrum in specie dictum, cerebellum & spinalem medullam. Cerebrum pars anterior est, quæ triplo major cerebello. Cerebellum pars posterior est, cerebro velut appendix adhærens, durioris ac

crassioris substantiæ. Spinalis medulla quasi cerebrum oblongatum est, & per occipitii foramen egreditur, ac in totam vertebrarum seriem usq; ad locum coccygis progreditur, cum itinere se decrescens.

Caput VI.

De

Ventre Medio;

PRAECEPTA.

- I. Venter Medius est, in quo cor cum reliquis partibus vitalibus suum habet situm.
- II. Dicitur Thorax, qui primâ vertebrâ in cartilagine muscronatâ ac costis circumscribitur.
- III. Dividitur in partes Externas & Internas

QUÆ-

QV. ÆSTIONES.

*Quo sensu hic venter medius
sit?*

Resp. Non medio negationis, sicut lapis respectu vitæ & mortis. Non medio participationis, sicut aqua tepida. Non medio perfectionis, sicut in medio consistit virtus. Non medio affecutionis, sicut media sapientiæ & media belli ac pacis dantur. Sed medio positionis, sicut media aeris regio. Inter supremum enim ventrem & medium interjacet. Hinc medius dici meruit.

AXIOMATA.

I. Venter medius facultatis vitæ
lis sedes est.

Hic partes vitales, cor, pulmo, diaphragma, & aliæ, dantur. Hic actiones vitales, respiratio & pulsus, exercentur. Hic spiritus vitales, vitæ media,

dia, elaborantur. Atq; hinc ipsa anima
velut in throno suo sedet.

III. Quanta supremi ventris di-
gnitas, tanta medii neces-
sitas.

Sensus præsupponunt vitam: vivi-
mus autem opera ventris medii. Spi-
ritus animales præsupponunt vitales:
vitales autem suppeditat venter me-
dius. Esto ergò major supremi ven-
tris dignitas: at major medii est ne-
cessitas.

Caput VII.

DE

Thoracis partibus Externis.

PRÆCEPTA.

I. Thorax in Collum & Thoracē
in specie dictum dividitur.

II. Col-

- II. Collum jugulum & cervicem
complectitur.
- III. Thorax in specie dictus, Pe-
ctus, Dorsum, & Latera com-
prehendit.
- IV. Pectus Sternum & Mammæ
habet.
- V. Dorsum Scapulis & Spinâ con-
stat.
- VI. Latera Costis, utrinque duo-
decim.

QVÆSTIONES.

I. *An collum ad caput, an ad thora-
cem referendum?*

Resp. Collum præcipuè ob vitales
actiones formatum est. Potissima
enim ejus pars arteria aspera est, quæ
aerem transmittit pulmonibus. Hinc
ubi collum, ibi pulmo: ubi collum,
non est, ibi pulmo non est. Ad thora-

cem ergò referri debet, ubi potissimum vitales actiones exercentur.

II. An thorax stringendus nimis?

Resp. Nimiam thoracis constrictionem mala mille sequuntur, destillationes, marcor, tabes. & mors prematura. Optimè Spigelius: Mihi eorum gentium consuetudo cum primis arridet [quam & Venetiis observari cernimus) quæ latum potius, quam angustum pectus; crassum, quam tenue exoptat, & propterea infantum thoracem levi fasciâ involvit magis, quam stringit.

III. Cur lactantes quotidie tantam lactis copiam emittere possint?

Resp. Quia parce non vivunt. Tot juscula sorbent, ac tantum cerevisiæ hauriunt, ut non desit facile materia lactis. Neque è sanguine pinguiori semper, sed sæpenumerò è terosâ & caseosa materiâ lac formatur.

IV. Cur

IV. *Cur mammae quæ suguntur lac
præbeant identidem, reliquæ
exarescant?*

Resp. Quia natura modis omni-
bus quæ crepta sunt, refarcire cona-
tur. Sic fontes & putei, è quibus con-
tinuè hauritur, aquis redundant. Pili
qui refecantur sæpiùs, latius crescunt.

AXIOMATA.

I. *Homini oblongum & rotun-
dum est collum.*

Factum id & ob usum & ob pul-
chritudinem. In bobus, urfis ac lu-
pis curvum est. Curvum etiam in a-
quilis, accipitribus, aliis avibus cur-
vum rostrum habentibus. Deformi-
tatem homini daret curvitas hæc,
& plura impedimenta.

II. *Mammæ malorum habent fi-
guram & magnitudinem.*

Res ita est in virgine adulta, perfectè sanà, ac decentis staturæ. Huic malorum in morem attolluntur, ut manu tegi possint undique. Majores quæ sunt, mala in nutricem indicant, cum lac copiosum non generent. Minores sterilem notant, cum frigiditatem ac debilitatem naturæ indicent.

III. Papillæ intumescunt & flaccescunt.

Mammæ caput papilla est, quam infans labiis apprehendit, sugitque. Habet ea substantiam fungosam ac raram, multisque foraminulis priore parte perforatam. Spiritu ob contractum affluente erigitur, discedente eodem flaccescit. Exquisito gaudet sensu, tactaque delectationem affert ingentem. Ut dulcedine hac ad porrigendas mammæ infantibus invitentur nutrices.

Caput

Caput VIII.

De

Thoracis partibus Internis.

PRÆCEPTA.

- I. Internæ Thoracis partes, aliæ Colli, aliæ Thoracis in specie dicti sunt.
- II. Colli potissima pars aspera arteria est.
- III. Thoracis partes sunt, Mammæ, Cor, Pericardium, Pulmones, Diaphragma, pleura, mediastinum, & musculi.

QVÆSTIONES.

I. *An Cor pars princeps sit?*

Resp. Habitat anima in corde, seu sede propria. In corde præcipuè spiritus insitus est, animæ & corporis vinculum

culum. E. corde etiam anima vitam communicat reliquis partibus. Et cordis unitas animal unum, multiplicitas multiplex præstat. Cordi igitur principatus deferendus.

II. An Cor exactè in medio thorace sit?

Resp. In duas partes cor dividitur, altera Basis, altera Apex dicitur. Basis lata est & orbicularis, ac secundum omnium locorum differentiam exactè medium occupat. Apex acuminatur, & sinistrorsum nonnihil ac antrorsum infra lævam mammillam exporrigitur.

III. An cor magnum timiditatem arguat?

Resp. Audacissimi inter homines magno ac piloso corde præditi fuere. Non ergò ex quantitate, sed qualitate ferendum iudicium. In corde cum calidi spiritus sunt, iiq̄ue non pauci, fortitudo datur aut audacia. Cum
spiri-

Spiritus pauci minusq; calidi timiditas fit, si vel maximè cor etiam sit parvum.

AXIOMATA.

I. Fœminæ mammæ, viri mammillas habent.

Fœminarum mammx præter cutim, membranam, & papillas, glandulas habent egregias & pinguedinè copiosam. Glandulæ multæ sunt, in virginibus duriores; in prægnantibus & lactantibus tumidiore, in vetulis flaccidæ. Virorum mammillæ imperfectæ sunt, & glandulas vix habent, sed ex cute membranâ, & paucâ pinguedine compositæ sunt.

II. Pericardium aquam continet.

Continet hoc cordis involucrium aquam, quæ pro ætatis, sexus, temperamenti, status, & morborum ratione, differt copiâ. Oritur ea ex vaporibus

con.

condensatis, qui ex humoribus ibidem contentis elevantur. Malè autem quidam huc trahunt aquam, quæ exivit è sanctissimo latere Salvatoris nostri, cum militis lancea laceraretur.

Caput IX.

De

Ventre Infimo.

PRÆCEPTA.

- I. Venter infimùs est, in quo hepá cum reliquis partibus naturalibus suum habet situm.
- II. Dicitur Abdomen, quod cartilagine mucronatâ & ossibus pubis circumscribitur.
- III. Dividitur in partes Externas & Internas.

QVAE

QVAESTIONES.

*Cur venter infimus parte anteriore
totus sit carneus ?*

Resp. Quia decebat partem hanc
contrahi & extendi, ob cibi potusque
assumptionem, excrementorum expul-
sionem, & fetus gestationem. Osseam
duritiem si haberet, nec dilatari val-
de nec contrahi posset.

AXIOMATA.

I. Venter infimus facultatis na-
turalis sedes est.

Hic partes naturales, hepar, lien,
ventriculus, intestina, renes, & alia,
dantur. Hic actiões naturales, nu-
tritio & generatio, exercentur. Hic
spiritus naturales elaborantur. Hic
materia formatur & pro vitalibus, &
pro animalibus spiritibus.

II. Cedit loco & honore venter
infimus medio ac supremo.

Hic

Hic membra sunt, quæ semper appetunt, nunquam explentur. Quæ divinum animal, quod plenum rationis & consilii est, deprimunt & sapè brutis deterius efficiunt. Rectè Democritus: Sitit quidem aper, sed quantum aquæ appetit: Lupus verò dilaniato quod se obtulit necessario alimento, quiescit. At si dies jungantur noctibus, hominem non capit comessandi satietas. Et anniversariorum temporum ordo brutis quidem animantibus coitus finem adfert, hic verò insano libidinis stimulo continenter agitur.

Caput X.

De

Abdominis partibus Externis.

PRÆCEPTA.

- I. Abdomen in Epigastrium & Diazoma aut lumbos dividitur.

II. Epi-

II. Epigastrium à mucronatâ cartilagine incipit, ac sub pube desinit.

III. Diazoma ab extremis costis incipit, & natibus desinit.

QVÆSTIONES.

I. Cur secto umbilico pereat homo?

Resp. Fœtus in utero umbilico velut ore capit alimentum. In lucem verò cum editus est, vasa umbilici in ligamentum degenerant, & hepar ac vesicam suspendent. Hinc resecto umbilico collabitur hepar, à quo trahitur diaphragma respirationis organum. Pereunt igitur, quia suffocantur.

II. Cur homines putrescere incipiant à ventre infimo, pisces à supremo?

Resp. Diversitatem hanc contentorum parit diversitas. In infimo piscium

Iam ventre pauca dantur excrementa, quæ in homine, equo, & aliis, sunt plurima. Hic enim sentina est, hic fordes, humores, & plurima excrementorum genera confluunt,

AXIOMATA.

I. Hypochondriaca affectio Epigastrium occupat,

Epigastrii pars dextra & sinistra Hypochondria vocantur. Hinc Hypochondriaci sunt, quibus male habet illa regio. Hippocrates ait: Non in ediam, non cibum sumtum ferre potest, sed jejuna quidem viscera rugitum edunt, & ventriculi os movetur, & aliàs varia vomitibilem, salivam, & acutum, ac post vomitionem aliquantisper melius habere videtur. Ubi autem cibum sumsit, ructus ei contingunt, cum rubore incenditur, semper se copiosum alvi excrementum

antia

tum

tum dejecturum existimat, cum verò defecerit, flatus infrà dimittitur, caput dolore vexatur, torū corpus huc & illuc velut acu pungi videtur, crura gravantur, debilitantur, & minuantur, debilisq; evadit.

II, Pudenda per se tam memorabilia & divina, quam pedes aut manus.

Purissimis à purissimo hæc membra facta sunt, ubi nec pudor erat, nec turpitude. Pudenda vocata fuerunt ex accidente, quoniam inconvenienti tempore aut loco detecta pudorem pariunt. Nihil tam bonum, quin abusu fieri possit malum, aut mali occasio. Ubique servandi fines, quos ultra citraque nihil rectum.

Caput

Caput XI.

De

Abdominis partibus Inter-
nis.

PRAECEPTA.

- I. Internæ abdominis partes, alię nutritioni, alię generationi inserviunt.
- II. Nutritioni, Oesophagus, Venter, Omentum, mesenterium, pancreas, hepar, vesicula bilialis, lien, renes, ureteres & vesica urinaria.
- III. Generationi, vasa præparantia, testes, parastata, vasa differentia, penis, prostata, & matrix.

QVAE-

QVÆSTIONES.

I. *Quid de usu lienis notandum?*

Resp. Lien officium habet epatis muneri cognatum, sanguinis nempe elaborationem. Habet enim proprium parenchyma ad sanguinis elaborationem idoneum. Habet conveniens temperamentum, convenientem magnitudinem, convenientem que figuram ac situm. Habet innumeras arterias & venas. Et affecto eo, impeditur sanguinis elaboratio, non secus ac malè habente epate.

II. *Quid de usu renum notandum?*

Resp. Sanguinem præparant ad seminis formationem. Habent etiam parenchyma proprium, habent venas emulgentes quæ plurimùm sanguinis adterunt, habent ampliam arteriam, quæ arteriosum sanguinem defert. Et quibus renes calidi sunt, libidinosa habent somnia ac pollutiones nocturnas. Dorso qui incumbunt, quo situ

H

renes

renes calefiunt, libidine tentantur. Et ipsa Scriptura S. non frustrà, aut ob seri forsan expurgationem, tam frequentem renum facit mentionem.

AXIOMATA.

I. Res operosa est hominis generatio.

Multarum partium, similarium & dissimilarium perfectionem requirit, quarum una si abfuerit, còcidit præstantissimum opus. Aliæ materiam seminis præparant, ut vasa spermatica; aliæ elaborant, ut parastratæ; aliæ perficiunt, ut testes; aliæ deferunt in propria conceptacula, ut vasa deferentia; aliæ recipiunt & conservant velut promptuaria, ut prostratæ; aliæ effundunt & ejaculantur, ut penis; aliæ recipiunt, sovent, & promovent, ut uterus.

II. Non

II. Non dantur in utero septem
cellulæ.

Una est cavitas, eaq; exigua, cum
totus fundus in virginibus quantum
vis adultis nucem juglandem non
multò excedat. Nullæ adsunt cellu-
læ, nullum septum datur, sed linea
tantum, quæ dextram partem à fini-
strâ dividit, sicut in linguâ & scroto.

Caput XII.

De

Artubus in genere.

PRAECEPTA.

- I. Artus sunt partes dissimilares
maximæ & extremæ, trun-
co adnatæ.
- II. Suntq; Manus & Pedes.

QVAESTIONES.

- I. An mutua artuum detur pro-
portio?

H 2

Resp.

Resp. Tanta pedum longitudo est, quanta manuum, seu brachiorum & manuum. Pedes, inquit Spigelius, & brachia in corpore proportionato æqualia sunt: hoc est, tanta est longitudo ab osse p[ro]ximi ad calcanei usque extremum, quanta ob alia usque ad mediū digiti extremum apicem.

II. Cur artus dextri robustiores & crassiores sinistris sint?

Resp. Ob sueta exercitia. Frequentius hæc atque felicius dextris quam sinistris perficiuntur artibus. Hinc robustiores illi fiunt & crassiores. Sicut quibus sinistræ manus potior est, quam dextræ usus, lævam habent dextram maiorem ac robustiorem.

AXIOMA.

Artus ad benè esse faciunt.

Non propter rō *inai*, sed propter rō *ei*, facti sunt artus. Caruere n. quidam brachiis, alii pedibus, nonnulli

nulli utrisque. In quibus mirâ provi-
dentiâ benignus nature Auctor aliis
defectus illos compensuit donis.

Caput XIII.

**De
Manu.**

PRÆCEPTA.

I. Manus est pars corporis à sca-
pulis ad digitorum apices
protensa, apprehensioni
inserviens.

II. Dividitur in Brachium, Cubi-
tum, & manum parvam.

QUÆSTIONES.

I. An sinistra manu utentes pravi
sint?

Scaliger ait: Illud verò mirum.
Cur quibus sinistra manus potior est:

H 3

quàm

quam dextræ usus : fetè omnes , ut levisimè , quod observavi , loquæ , pravi sint ? An perverse sunt eorum cogitationes , quòrum & perversa corpora ? Hoc quoq; profectò in proverbio est . Sed falsam habet sententiam Scaliger . Nulla in manu perversitas est , nullum vitium . Sola consuetudo facit , ut quibusdam potior sinistræ manus usus sit . Neque verum est , perversas eorum cogitationes esse , quòrum perversa corpora sunt .

II. Quid de Chiromantiâ censendum ?

Resp. Prudentis est , naturalia à voluntariis distinguere , & Chiromantiam cum Physiognomiâ & Astrologiâ conjungere . Prudentis etiam probabilitatem magis , quàm necessitatem tueri . Sic in medio tutissimus ibit .

AXIO-

AXIOMATA.

I. Organum organorum
manus est.

Manu leges scribenda, manu tra-
struenda, manu pacta firmanda, ma-
nu devotio ostendenda, manu cogi-
tatio manifestanda. Ædificamus, fin-
gimus, pingimus, sculpimus, & ut
verbo dicam, manuarum artes exer-
cemus manu. Nullum organum ad
tàm multa, ad tàm magna, tàm varia
factum est.

II. Quartus digitus frustra annu-
lo præ cæteris ornatur.

Annularis ab annulo aureo, quo
ornari suevit, appellatur. Ornan-
dum censuere digitum, quia natura
ipsa eum honorarit, & per nervum
eum corde, membro nobilissimo, co-
pularit. Et ornandum èò magis, quia
cor auri virtute & qualitate occulta

confortetur. At nullus ab hoc quarto digito ad cor nervus protenditur. Ruit igitur omne honoris fundamentum.

Caput XII.

DE

Pede.

PRÆCEPTA.

- I. Pes est pars corporis, à natibus ad digitorum apices protensa, ambulationi inserviens.
- II. Dividitur in Femur, Tibiam, & Pedem parvum.

QVAESTIONES.

I. *An decrescant corpora senum?*

Resp. Videntur breviores esse senes seipsis juvenibus: at videntur, non sunt. Figuram mutant, magnitudinem servant. Curvantur ob musculos & ligamenta, ossibus ipsis nihil decedit. Fiunt etiam graciliores: at non breviores.

I. Cur

II. Cur infantes primo anno nec sta-
re, nec ambulare queant?

Resp. Quia tenerrima habent mē-
bra, quæ ceræ instar flexibilia sunt.
Angustas etiam habent plantas pe-
dum, caput admodum grave atq; in
excelsa loco positum. Hinc sine re-
store, nec stare, nec incedere possunt.
Non enim vires habent sustinendo
oneri pares.

AXIOMATA

I. Magna pedum manuumque
conformitas est.

Tanta partium atque articulo-
rum convenientia datur, ut inventi-
sint, qui pedibus manuum præstite-
runt opera. Quorum manus, aut pe-
des, seu descriptiones pedum, ad tanta-
ret memoriam adservarunt monu-
mentorum curatores.

II. Præ-

II. Præstantiora crura sunt, quàm
ut carpere ea possit Mo-
mus.

Fenestras in pectore malè omiffas
statuebat Mornus. Idem demendas
furas putabat, tibiâsq; graciles lau-
dabat. At nil opus fenestris in corde:
fermo, facies, & gestus, in apriçû pro-
ferunt, in imo quæ latent pectore.
Garnosa verò illa tibiæ pars, & orna-
mentum, & munimentum præstat.
Miscet ubiq; natura parens pul-
chrum necessario.

Conclusio.

Aliquid de homine diximus. At
non omne diximus, nec quod caput
fei diximus. Miraculum homo est,
ab omni hominum cognitione
absconditum.

Soli DEO Gloria.

Jonas Frondring Islandiæ sedes
describit. Mons Læna celebris
semper flammis exoritur, cui sul-
phure abundet. Paganis ibi & fieri
sunt vestigia, sic quod armitas
ipsi audiunt, et spectra vident. Quod
flamæ perumpentis describitur.
Gemitus

Johannes Magnus Sueciæ ex
Archivis describit, eos quos fæta
demonstrant.

Stockholmia Urbs Sueciæ celebra
regia in medio exstructa cui usque
in Europa simile est edificium.

Olavi Universitatis Lincniæ describitur.

ULB Halle

3

003 798 771



Guarney Adolphus de Erfurto dicit
Qui Erfurdis est Dominus, cui fauere
voluit Turingie Dominum esse: quod
omnino commoda pro sunt.

Erfurdia Campana ingens latet.
In hunc locum ^{ubi} cithara Lutheri ostendit
Origenis Augustinianorum.

3 Liber Interim Vid. Cent. Mag.

Jona Biblia Virgine Merito
in folio scripta est Virgo Virginitas.

Et Biblia gloz in Captivitate
vultus Joh. Frid. Elector.

Item libello involuto particula
ex veste Virginitatis Marie.

Joh. Frid. fundavit fund. Acad.

Lignienfis Academie. vultum
dedit turbato Praxepb. Pri
vilium maximis gaudet qd per
tium pure advocandi.

Item. Manu hinc obicit fidem.
Armamentarium ibi est nobilitatis
et alia prunlarum

Fit eiberus filij patris male
dictione in un. loco 7 annos man.
fit. q. stitit, 3 fuit, q. vity fuit.

Ordine pervenies quod hinc ire labore.

Genua mari fortissa & ditissima
Civitas. Kameticis ad sordidos usus
argentea adhibent instrumenta.
Pompilius D. Laurentii ex maximo
albo & nigro confectus & auro
refulgens. In Sarcophago cineris
Baptiste ostentant. Patina Smarag-
dina in qua accepit pedibus suis
Christus. Patina Gallicona in qua
Herodias caput Baptiste accepit.
Duo capita & brachia ex intaminibus
ab Herode providatis. Pompilius
D. Mariae amplissimus.

A. 1379. Insurrectio ingens fuit con-
tra Ludov. III. Malanum, magni
Ducem in Flandria. Hinc versus:

Insurgunt CatVII, CVpIVnt
Spoliare Leone M.

Altopetia refert spiritus ad
fluxus pilos, Gulpis, generalis
in pat. defluxus pennas in avibus.

Abdoveens sui Ludovici
Magnus coeuit edificare Ar.
gentorata, iuxta sub Henrico
IV. Imperatore Romano per
annos 70. quapifundamentum po-
nebat. Jurvisaltrista 130. gradus
habens, anni 700. transierunt.
Jone sua videt faciem. Maxi-
milianus II. libertatibus donavit.

Nortlinga celebris ob cladem q. Per-
dipandum II. Svecis infligam
An 1674. Prosaed ingent in
obridyne famem suavit.
Uluqua Baquintiam.

Herbipolis solo regnat 2 ense, stola.
judicaty

Episcopus n. gaudet spirituali et secu-
lari potestate in Arce rindens.

Heilheberoa instructa erat Biblio-
theca manu scriptis Vetusissimis
abundans, ut Vaticana Roma supera-
re, cederet, in expugnata urbe
fuita, parvejit Roma delata


Barbarus Teobaldus candidus
- Hist. Bohemica descript.

Distinctio est hominis ambigua
Divisio rei ipsius.

Prima est principia cognitionis con-
fusa. Conduone est principia de-
ductas.

Civitas est Urbs differe videtur ut
Continuus est contentus. Urbs n. magis
edificiorum structura. Civitas norma
Civium stat. Sicut Romani quondam
cum Carthagenensibus fraudulenter
ceperunt foedera pacis incedere.
Emiserunt enim Carthagenensibus
Civitate illorum salva se retenturos.
Successu a. tyris mandatum ut
sesternis edificiorum remanere a
mari habitarent. Dicentibus isti
hoc esse contra foedus. Viderunt
se ad Urbes se Civitate concessa
se emiserunt.

Anno 102. à combustionem Hüb
et reformacionem Lutheri incipit.
Cum illis crematis rusticis transire
facilius hinc adjeit cui ille. Beata
Petrus. Sicut papae eius coram
pope. Sicut in imperio, multa. ga
ille. Corona Imperatoris q. intra cor
me erigit.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

SYNOPSIS AN-
THROPOLOGIÆ
PHYSICÆ.

JOHANNIS Sperlings/
Phyl. Prof. Publ.

EDITIO TERTIA.



WITTEBERGÆ,
pensis Viduæ JOHANNIS
BERGERI, Bibliop.
Prælo JOHANNIS HAKEN,
ANNO M DC LIX.

